

CORDUS (Euricius)

EPIGRAMMATA (8629 vers)

(Le texte proposé ici a pour base l'édition parue à Francfort vers 1550.)

## EURICII CORDI EPIGRAMMATUM LIBRI XIII.

## EURICII CORDI EPIGRAMMATUM LIBER PRIMUS.

## AD PHILIPPUM HESSIAE PRINCIPEM BUCOLICORUM DEDICATIO.

E1\_001 v.1 Dum tua defuncto tristis silet aura parente,  
 2 et solitae cessant, clare Philippe, tubae,  
 3 nullaque percultas taratantara verberat auras,  
 4 nec fera te saevo classica Marte vocant,  
 5 accipe Bucolicum, silvestria carmina, lusum,  
 6 quos levis, ausculata, fundit avena modos.  
 7 Sit ratio nostri numerusque precamur agrestum,  
 8 nam tua, si nescis, nos quoque turba sumus.  
 9 Teque quotam tenuis partem dignare libelli,  
 10 et pastoricio fer puer ore cani.  
 11 Perlegis, an verso subeunt fastidia vultu ?  
 12 Hei mihi si vana credulitate fruor.  
 13 Si tibi contempto praelata pecunia Phoebos  
 14 quaeritur, et vilis Musa videtur honos.  
 15 Aurea cum nequeam, chartacea munera mitto,  
 16 non pretiosa minus sunt tamen illa mihi.  
 17 Cum dabimur certae, quae demetit omnia, morti,  
 18 posthuma vivaci littera prole manet.

## DE REDITU HENNINGI GOEDI.

E1\_002 v.1 Quis novus hic plausus, quae tantae gaudia turbae,  
 2 quidque quod est unus clamor ubique, venit ?

3       Tecta papae video carpenta, ducemque senatum,  
 4       et sua quadrupedans agmina densat eques.  
 5       Quis quem purpureo tegit alta tiara rubore,  
 6       qui laetam facilis dat recipitque manum ?  
 7       Agnita jam facies, et honorae gratia frontis,  
 8       ipse sacri est Goedus maxima fama fori.  
 9       Quem querula absentem dudum Respublica luxit,  
 10       dum rabidus movit vulgus ad arma furor.  
 11       Sic aberat maestae proscriptus Tullius Urbi,  
 12       sic rediit, plus est, quam fuit ante, decus.  
 13       Nunc marcesce, dole, nunc invide rumpere livor,  
 14       quod contendebas non fore posse, vides.

## AD PONTICUM.

E1\_003 v.1       Cur mea divulgem vix nata poemata, quaeris,  
           2       nec patiar pressum ut virgula signet opus,  
           3       est eadem quae te jam Pontice causa coegit,  
           4       turbida vix madido vendere musta lacu.

## AD MAGNUM.

E1\_004 v.1       Ergone, Magne, doles domina quod liber ab aula,  
           2       tam grave nunc cesses vivere servitium ?  
           3       Forte frequens adeo quod non marsupia nummus  
           4       farcit, et assuetae spes tibi nulla togae ?  
           5       Te longe melior, spera, fortuna, beabit,  
           6       vis modo, te nusquam ditior alter erit.  
           7       Fac nova cum Venetis peregre commercia tractes,  
           8       prome piper, nardum, cinnama, tura, crocum.  
           9       Nil dubito extrudes magno, vel singula, lucro,  
 10       qui tanto fumos vendideris pretio.

## AD FELICEM.

E1\_005 v.1       Est mea paupertas, Felix, tua Copia custos,  
           2       haec noctu fures allicit, illa fugat.  
           3       Vis ? Tecum (mera quae stupidi dementia Glauci)  
           4       permutabo, meam do tibi, redde tuam.  
           5       Rennuis ? Unius Fortunae est illa potestas,  
           6       si velit haec, nolis tu licet, illa mea est.

## DE SCAEVOLA.

E1\_006 v.1       Si, quam consultus legum sit Scaevola, nescis,  
           2       mutuo da, si quid te rogat ille, scies.  
           3       Terque quaterque licet repetas, nil proficis, imo  
           4       lis tibi perpetuos surget agenda dies.  
           5       Ex aliis alias doctus de ducere causas  
           6       inventu prorsus nil ratione dabit.  
           7       Et nisi tu caveas, quod vix potes, ipse reum te  
           8       (praesto sit orator ni tibi nummus) aget.

## AD HELIUM EOBANUM HESSUM.

E1\_007 v.1 Sex quidam versus me forte rogavit amicus,  
 2 dignaque promisit se dare dona mihi.  
 3 Post aliquot rediens ut factos repperit horas,  
 4 sex obolos alta protulit ille manu.  
 5 I nunc et miseris nullum dic esse Poetis  
 6 praesidium, mea quid det mihi Musa vides.

## IN LUCIUM APULEIUM.

E1\_008 v.1 Ancipitesque vices, indignaque verbera legi,  
 2 et quicquid factus pertuleras asinus.  
 3 Heu adversa nimis gravium fortuna laborum,  
 4 quam mala tunc misero fata fuere tibi.  
 5 Hoc nostro, quod eras, esses felicius aevo,  
 6 quo magis id colitur, quam deus ipse, pecus.  
 7 Summa rudes asini rerum fastigia scandunt,  
 8 maximus hoc illis tempore venit honos.  
 9 His hominum dominis divina profanaque parent,  
 10 sunt asini reges, pontifices asini.  
 11 Et nisi sis asinus nullum tibi nomen habebis,  
 12 ac omni spretus destitueris ope.

## AD HENNINGUM GOEDUM.

E1\_009 v.1 Conspicuas multis posuisti sumptibus aedes,  
 2 at quae divitias nil minuere tuas.  
 3 Hac praetergrediens olim quis forte viator,  
 4 me puero hoc memini surgere, dicet, opus.  
 5 Et leget incisis annum et tua nomina saxis,  
 6 te clarum memorans praeminuisse virum.  
 7 Nempe quod ad summos paulatim vectus honores.  
 8 Prima bipartiti gloria juris eras.  
 9 Sed brevis hanc famam poterit finire vetustas,  
 10 Dum jacet haec titulus post monimenta tuus.  
 11 Ni sacra contigerit docti facundia vatis,  
 12 qui celebret versu splendida facta suo.  
 13 Omnia rodit edax, vel sint adamantina, tempus,  
 14 sola vetat dignum laude Thalia mori.

## AD PANNICUM.

E1\_010 v.1 Est tibi dives opum, claro sata stemmate conjunx,  
 2 cuique daret iudex aurea mala Paris.  
 3 Si tamen hunc patitur, quem dicit fama veterum,  
 4 cum tot eam nollem dotibus esse meam.  
 5 Quod puta tanta graves vexent obliviae sensus,  
 6 ut quando extinctus, nesciat illa, pudor.  
 7 Nec tibi quot peperit, si quaeras, pignora dicat,  
 8 quique sit his, quamvis non ea moecha, pater.

## DE LEONE A GALLIS AD GALLUM ADDUCTO.

E1\_011 v.1 Currite spectatum properantes currite cives,  
 2 hospes apud Gallum dicitur esse Leo.  
 3 Plus mirum, Gallis ductoribus atque magistris  
 4 paret, et est socius, queis prius hostis erat,  
 5 scilicet inter eos nuper concordia facta est.  
 6 Hoc potuit tandem longa videre dies.  
 7 Conveniant feriantque novae rata foedera pacis,  
 8 nil timet hoc magni qui gerit arma Jovis.  
 9 Rex manet hic illisque potens dominabitur ales,  
 10 tale licet nomen, parve trochile, velis.

## IN IMAGINEM VENERIS ET EVAE.

E1\_012 v.1 Calve quid aversos demittis hypocrita vultus ?  
 2 Unde novus casto jam subit iste pudor ?  
 3 Aspice, non ego sum vicina turpior Eva,  
 4 quin imo mediam se minus illa tegit.  
 5 Huic breve quam folium, nobis velamina pubem  
 6 abscondunt, nectam nuda papilla mihi.  
 7 Nec video quo me meriti praecellat honore,  
 8 humanum servo, perdidit illa genus.

## IN FIGULINAM.

E1\_013 v.1 Turgida jam decimum protuberat alvus in annum,  
 2 nec grave maturo viscere ponis onus.  
 3 Non puto, cum paries, quod adhuc edentulus infans  
 4 infirmo quadrupes nesciat ire gradu.  
 5 Sed modo barbatus vir erit, calicemque librumque  
 6 ad sacra post patrem ferre tapeta potest.  
 7 Quod tibi si laevo concepta est femina ventre,  
 8 magna prius meretrix, quam releveris, erit,  
 9 quemque premes, una premet illa puerpera lectum,  
 10 et quae te matrem, lux aviam faciet.  
 11 Deque recente novum mirabere prole nepotem,  
 12 et dices, idem vir meus et gener est.

## AD LUCIUM.

E1\_014 v.1 Audio te, Luci, pulchram duxisse puellam,  
 2 quae sit quo conjunx vespere facta parens.  
 3 O super Idalias, fecunde marite, columbas,  
 4 quam tibi fausta Venus, quam bona luno favet.  
 5 Si quo coepta modo sunt haec connubia pergant,  
 6 natorum posces cras tibi jura trium.  
 7 Ante duos vinces Aegypti pignora menses,  
 8 quique nurus gignant deficient Danai.

## IN HILLUM.

E1\_015 v.1 Quo me cumque foro, quacumque prendis in aede,  
 2 quaeris an officii sim memor, Hille, tui.  
 3 Quattuor invito mihi prandia forte dedisti,  
 4 quae non officium, sed voco supplicium.  
 5 Malo quidem caeci, tua quam convivium, Phinei,  
 6 et si nectarei des mihi pocula meri.  
 7 Quae sit causa rogas ? Dodonae imitata lebetem,  
 8 et querulis ranis aemula garrulitas.  
 9 Obtusae gravibus mihi hebet clamoribus aures,  
 10 si bis adhuc tecum vixero, surdus ero.

## DE NIGRO.

E1\_016 v.1 Mutilandus auribus ligatus ad palum  
 2 circumfluo medius stetit Niger in vulgo,  
 3 nullumque tam fortem videre se dixit,  
 4 qui destinatas posset exsequi poenas.  
 5 Strictum probavit ungue carnifex cultrum,  
 6 caputque prendens haec ait potest dextra  
 7 sed dum capillos hinc et inde rejecit  
 8 vidit prius, quod ipse jam voluit, factum.  
 9 Tum maximum Niger solutus in risum  
 10 "Non est mea, inquit, ante quae fuit Malchi  
 11 fortuna, nec tu aures puta esse boletos."

## IN MANIUM.

E1\_017 v.1 Objicis esse malum, mihi, me tenuemque Poetam,  
 2 et vix jejunam pellere posse famem.  
 3 Omnia mentiri solitum quaecumque loquaris.  
 4 Haec quoque te Mani dicere falsa velim.

## IN IMAGINEM VIRTUTIS.

E1\_018 v.1 Cujus opus ? Lucae, sed quae pulcherrima ? Virtus,  
 2 quae tam deformis post comes ? Invidia,  
 3 sed quid anhelanti similis sudare videris ?  
 4 Ardua difficili nitor ad astra via.

## AD BASSAM.

E1\_019 v.1 Te quoties offers cultam mihi Bassa videndam,  
 2 ostentas mundi quicquid ubique tui,  
 3 bracteolas, zonam, strophium, crinale, mitellam,  
 4 in collo torquem, Sardonycha in digito,  
 5 praeterea in tumidum demissa monilia pectus,  
 6 quaeque tegunt amplum Gallica pepla caput.  
 7 Haec ubi me cernis tenui contemnere risu,  
 8 has tua respondes non habet uxor opes.  
 9 Hoc equidem verum concedo, sed ista misella

10 unum habet, huic uni vultque placere, virum.

IN PAULUM.

E1\_020 v.1 Verior antiquis fuit ille Propheta Sibyllis,  
 2 indiderat nomen qui tibi, Paule, tuum.  
 3 Vere es enim Paulus, tua si doctrina videtur,  
 4 quaque dei verbum dicere voce soles.  
 5 Paulus es ingenio, Paulus virtute, fideque,  
 6 et nullus docuit te quoque Christon homo.

AD LUCIFERUM.

E1\_021 v.1 Nobilis est, ut ais, credo, tua Lucifer uxor  
 2 nimirum toti cognita quae populo.

AD SCAEVOLAM.

E1\_022 v.1 Me petis ut credam paucos tibi Scaevola nummos  
 2 ad sex, aut, nec eis amplius, octo dies.  
 3 Hoc illos intra spatium te reddere juras,  
 4 sed vel jurato non tibi danda fides.  
 5 Forsit an ad Graecas differres usque Calendas,  
 6 ne totum perdam, do tibi dimidium.

AD OLLUM.

E1\_023 v.1 Cum faciat septem pulchrum lepus, Olle, diebus,  
 2 cur tam deformis sit tibi dic facies ?  
 3 Qui tamen hesternus nostri conviva Placentae  
 4 appositum solus glutieris leporem.

DE BONA ERPHORDIANORUM VALETUDINE.

E1\_024 v.1 Ite novas alibi medici disquirite sedes.  
 2 Hac nullum vobis restat in urbe lucrum,  
 3 sunt validi nec egent hic vestro munere cives,  
 4 difficilem nemo conqueritur stomachum,  
 5 imo domos, agros, hortos, vineta, cohortes  
 6 assiduo, qualis struthio, ventre coquunt.

IN CILICEM.

E1\_025 v.1 Quae tibi tanta favet fortuna, quod unus ubique  
 2 omnia, vel numquam perdita repperias ?  
 3 Non prius invenias, quam perdidit alter, ut ante  
 4 quam fias aeger non moriari Cilix.

IN UVIDUM.

E1\_026 v.1 Ante duos fueras, scio, barbarus Uvide menses,  
 2 et poteras docte non tria verba loqui.  
 3 Qui modo longinquis reducem te dicis ab oris,  
 4 et te grande putas hinc retulisse sophos.  
 5 Quod mala corruptas balbutiat ebria voces  
 6 lingua, voles isto graeculus esse modo ?  
 7 Sed tamen assiduus multum res adjuvat usus.  
 8 Qui pergraecaris jugiter, esse potes.

AD CANONICOS QUOSDAM.

E1\_027 v.1 Praeponi quemdam vobis male fertis asellum,  
 2 indignum tali quod sit honore pecus.  
 3 Ferte vel inviti, quia sic Romana potestas,  
 4 sic jussit summi littera Pontificis.  
 5 Qui sibi praeponi non dedignatus eumdem,  
 6 quo steterat voluit nunc quoque stare loco.

AD LECTOREM.

E1\_028 v.1 Si sentis quod inest meis libellis,  
 2 qui nudus nequeat jocus referri,  
 3 tecum perlege, ne vel innocentes,  
 4 vel laedas tetricas Catonis aures,  
 5 ni sit nequitiosus et facetus,  
 6 et plenus sale, felle, et illecebra,  
 7 non dices Epigrammatum libellum.  
 8 Sit lasciva licet procaxque Musa,  
 9 castus spiritus est sacri Poetae.

IN GALLUM.

E1\_029 v.1 Quod cupis ignarum veri tibi credere vulgus,  
 2 credo tuus quod erat navita, Galle, pater.  
 3 Qui semel infausta deductus cannabe in altum,  
 4 optatum tetigit non magis inde solum.  
 5 Si tamen invento pisces de funere quaeres,  
 6 non scimus, dicent, nos, sed aves ubi sit.

IN IMAGINEM DIVI CHRISTOPHORI.

E1\_030 v.1 Quid tu, magne Gigas, parvi sub mole puelli  
 2 succidis, et proni deficiunt humeri ?  
 3 Et natum et matrem, vel debilioribus ulnis  
 4 portat anus, num te fortior Anna viro ?

IN QUEMDAM IMPROBUM.

E1\_031 v.1 Grandia promittis, quae nulli dona dedisti,  
 2 extulerit laudes si mea Musa tuas.

3 Saepius inceptum nequeo deducere carmen,  
 4 in te quod laudem tam video esse nihil.  
 5 Nescio mentiri, nec quae tu gesseris, ausim  
 6 dicere, si dicam, me tacuisse velis.

## AD SILUNUM.

E1\_032 v.1 Curculio frumenta tibi, carnaria tarmes  
 2 perdit, sunt acidis mucida vina cadis.  
 3 Rancidulum putet pereunte sapore butyrum,  
 4 incipiuntque putres vivere caseoli.  
 5 Fida suo domino mihi procuravit egestas,  
 6 ut nequeam cupiens haec ego damna queri.  
 7 Quae si tu quoque vis posthac, Silune, cavere,  
 8 his qui non sat habent da quod habes nimium,

## AD URSULUM.

E1\_033 v.1 Te fore causidicum summis cupis, Ursule, votis,  
 2 quam facili, vel mox is potes esse, modo.  
 3 Non opus est ut sis orator, garrulus esto.  
 4 Et pergas tantum barbarata verba loqui,  
 5 fallere, mentiri, fraudare, imponere discas,  
 6 et tua perverso commoda jure sequi.

## AD AEMILIANUM.

E1\_034 v.1 Nil de Phillide turpe, nil probrosum,  
 2 nil quod dedeceat probam puellam,  
 3 debes Aemiliane suspicari.  
 4 Quod seri monachi domum frequentant,  
 5 sancti sunt Mariae pique fratres.  
 6 Servatoris avunculique Christi,  
 7 nec soli insuper exeunt, nec intrant,  
 8 graves namque solent habere testes.

## DE AULO ET NASONE.

E1\_035 v.1 Sollicita dicunt Aulum tabescere cura,  
 2 enixa infantem ne Figulina ferat.  
 3 Contra longa querens pariendi tempora Naso,  
 4 omnes astrologos consulit et medicos.  
 5 Ut sit hic, argentum, ne sit pater, ille dat aurum.  
 6 Non aliam satius net Figulina colum.

## HYMENAEUS.

E1\_036 v.1 Ni religata meis porrexerit ora capistris,  
 2 legitimum thalami nemo peregit opus,  
 3 ergo tuum numquam cum laude fatebere patrem,  
 4 et mala te genuit, me nisi teste, parens.



## AD IONAM ET OTHONEM.

E1\_037 v.1 Postquam nulla sacris sunt emolumenta Poetis,  
 2 et sterilem sequitur musica turba scholam.  
 3 Vos mihi consulti dubiis in rebus amici,  
 4 causidicum Jona, vis Otho me medicum.  
 5 Dumque uter esse velim mecum delibero, coepi  
 6 esse nihil, quoniam quod periit nihil est.

## IN THILONEM.

E1\_038 v.1 Te mea velle mihi comaeiere carmina dicunt,  
 2 heu si, quam tua sunt, tam scabiosa forent.  
 3 Hanc si, quin tibi dent, nequeunt evadere poenam,  
 4 tunc ea funesta sub cruce sparsa velim.

## IN POMPILIANUM.

E1\_039 v.1 Desine me tandem, rogo, desine dicere cinclum,  
 2 ne te currucam Pompiliane vocem.

## AD FLACCUM.

E1\_040 v.1 Omnia Saxonis quaecumque geruntur in oris,  
 2 primus, vel nullo scit referente Niger.  
 3 Non tamen hoc mirum debet tibi, Flacce, videri,  
 4 auriculas illic fertur habere suas.

## AD GELLIUM.

E1\_041 v.1 Est adversa meae semper fortuna saluti,  
 2 omneque qua veniat spes mihi, claudit iter,  
 3 quotquot erant quorum mihi commoda vita fuisset,  
 4 jusserunt omnes invida fata mori.  
 5 Vis modo tu saevas aeger deludere Parcas ?  
 6 Heredem Cordum scribe, superstes eris.

## AD LAELIUM DE PAPILO.

E1\_042 v.1 Pauperior vivit mendico Papilus Iro,  
 2 at brevis hunc ditem redderet hora Midam.  
 3 Qua ratione rogas, dicam tibi, candide Laeli,  
 4 tres calices vini fac bibat ille tui.

## DE CASSIO ET OLLO.

E1\_043 v.1 Una sat esse potest, plenae licet, amphora mensae,  
 2 sed quia conviva est Cassius, adde duas,

3 et panes duplica, venit invitatus et Ollus,  
4 providus hoc etiam fac sciat ante coquus.

## DE NIGRO.

E1\_044 v.1 Si causam nescis, male cur Niger audiat, haec est,  
2 se penes auriculas non habet ille suas.

## AD NAEVOLUM.

E1\_045 v.1 Audio Romanos, et abhorreo, Naevole, mores,  
2 ut stupida recti stent mihi fronte pili.  
3 Proh infanda mali populi pestisque luesque,  
4 num loca placatus respicit illa deus ?  
5 Hic summusne pater fidei, sanctusque senatus ?  
6 Ex hac num nobis urbe petenda salus ?  
7 Hicne suos fundit tua vinea, Christe, racemos ?  
8 Quam mala radices non bene nutrit humus.  
9 Quantaque palmitibus caries ventura timetur,  
10 ni gravis haec renovet funditus arva ligo.

## TROCHILIUS AD AQUILAM.

E1\_046 v.1 Pone, precor, veteres tandem Jovis armiger iras,  
2 non ego re, sed sum nomine rex avium.  
3 Sic vocor, ut quo non alia est minor ulla volucrum,  
4 agnosco regem te venerorque meum.  
5 Non tantilla minax acue in corpuscula rostrum,  
6 uno sex nostrum, si libet, ungue teres.

## IN CELEREM.

E1\_047 v.1 Tam tenuem mihi pauperiem Celer objicis, ut mox  
2 mendicus limen cogar adire tuum.  
3 Esto quod is modo sim, tamen a te nulla petetur  
4 buccia, nam novi te dare posse nihil.  
5 Quam timeo ne tu prius ad suspendia vinctus,  
6 ipse piam rogites me brevis assis opem.  
7 Tam male non faveo, nec ero tam sordidus umquam,  
8 quin habeam nummos, et dare quinque velim.

## AD HELIUM EOBANUM HESSUM.

E1\_048 v.1 Quisquis es Hessiaci qui tot monumenta Poetae,  
2 sub sera quondam posteritate leges,  
3 non dubium est, aliquot merceris milibus, istum  
4 talia qui scripsit posse videre virum.  
5 Scireque qui vultus illi moresque fuerunt,  
6 et quo tam doctos protulit ille modos,  
7 ecce videt praesens, auditque nec aestimat aetas,  
8 quanta sub afflato numina corde latent,

9 nullus honor sacro, nulla est reverentia vati,  
10 quisque faber majus cerdoque nomen habet.

## AD NAEVOLUM.

E1\_049 v.1 Quod sim tam subito jam factus tempore Codrus,  
2 desine mirari, Naevole, Cordus eram.

## IN PICTUM BRUTORUM CONVIVIUM.

E1\_050 v.1 Convivas vitulos, asinosque suesque, canesque,  
2 presa vides bruto stringere vina pede.  
3 Quid mirare ? Tuos hic aspicias heluo fratres,  
4 mater enim tales nos parit ebrietas.

## AD EUNUM.

E1\_051 v.1 Te fore pontificem poteris sperare, sed ut sis  
2 maximus, in fati non erit Eune tuis,  
3 at nullo summus fieri prohibeberis astro,  
4 si tua sit sedes celsus Eryx vel Athos.

## AD AMICUM QUEMDAM.

E1\_052 v.1 Viginti Angelicos, ad sex vel ad octo poposci  
2 hebdomadas, sed tu mittis, amice, decem.  
3 Ascraeique citas, quae nescio verba Poetae,  
4 plus toto soliti dicere dimidium.  
5 Quam mallet qui te docuit "pleon hemisu pantos", (grec translittéré)  
6 Hic quoque "koina philon panta" docere velit. (idem)  
7 Si tamen haec sic vera tibi sententia cordi est,  
8 quod facio facies tuque subinde lucrum.

## AD CROTUM RUBIANUM.

E1\_053 v.1 Ut Gallum simularet equum tuus iste veredus,  
2 auriculas illi te secuisse refers.  
3 Quis malus hic error, quae te dementia cepit,  
4 vis Gallum, testes tunc, Rubiane, seca.

## AD SERIUM.

E1\_054 v.1 Cum, Seri, legeres oblatum sorte Catullum,  
2 diceris abjecto saepe spuisse libro.  
3 Scribere gentilem, precor, haec patiare poetam,  
4 quod facis insignis religione sophus.

## IN QUEMDAM MENDICUM.

E1\_055 v.1 Videtis hunc lacerum obsitumque mendicum,  
 2 in omnibus primum aedibus proseuchisque ?  
 3 Qui flebili sono, straboque prospectu,  
 4 domesticam populo querens egestatem,  
 5 scutulam stipi atque pileum obviam exporgit,  
 6 et per timendum jugiter Valentinum  
 7 monet, rogat, precatur, obsecrat, implorat  
 8 quoscumque divites videt viatores,  
 9 mollissimus scortator, et liguritor  
 10 lautissimus, suam quotidie mensam  
 11 ficedulis, turdis, lupo, scaro, mullo,  
 12 et quicquid optimi est saporis, exornat.  
 13 Miraris unde tantae opes lacerae perae,  
 14 qui fenerantur, annuos habent nummos,  
 15 quotidianum extorquet ille vectigal.  
 16 Si mallet esse summus hic magistratus  
 17 peream, ratus mendicitatis est census.  
 18 Quem consecutus amplius nihil curet.

## IN PRAEELECTIONE PERSII.

E1\_056 v.1 Unus sit licet et brevis libellus,  
 2 inter praecipuos tamen Poetas,  
 3 magnam Persius obtinere laudem,  
 4 et non ultimus esse fertur auctor,  
 5 quem quamvis gelido legam Decembri,  
 6 ferventem tamen aspicias laborem,  
 7 pro quo sex totidemque da leones,  
 8 quae si multa videtur esse merces,  
 9 unum da mihi, care lector, ursum.

## IN RUFINAM.

E1\_057 v.1 Non mihi vis quot habes annos, Rufina, fateri,  
 2 ipsa licet taceas dicit arata cutis.  
 3 Quae te fucato juvenem mentita colore,  
 4 nunc tandem falsi turpiter arguitur.

## AD BIBULUM.

E1\_058 v.1 Quem loculos habeam pauper, me quaeris, ad usum,  
 2 ad quem simbellam tu quoque pauper habes.

## QUOD BONAE LITERAE CONTEMNANTUR.

E1\_059 v.1 Quid tamen his nostri dicam de moribus aevi ?  
 2 Quis tam vaesanus, miror, et unde furor ?  
 3 Ipse suum ventat lecturus carmen Homerus,  
 4 sit nisi gratuitus, displicet ille labor.  
 5 Soli mercedem referunt nil scire docentes,

6           Sola suo constat barbaries pretio.  
7   O infelici natos jam tempore vates,  
8           et miserum semper, dum manet illa, genus.

## DE SIMONE.

E1\_060 v.1       Prima Simon Petrus fidei fundamina jecit,  
2           Christicolasque novus dux fuit inter oves.  
3   At superas postquam Petrus migravit in arces,  
4           hoc subiit solus munus ubique Simon.  
5   Hei mihi, quam tenuis grex est pastore sub illo,  
6           quam gracili rarum tergo vellus habet.

## DE MEMORE ET IOPA.

E1\_061 v.1       Convivae Logicus Memor, et Citharoedus Iopas,  
2           consedere, loquax ille, sed hic tacitus.  
3   Obticuit jussus Memor, inde rogatus Iopas,  
4           dulce coaptavit voce lyraque melos,  
5   totaque laetifico solvit convivia cantu,  
6           at tetrico solus perstitit ore Memor.  
7   Quem quoque dum certans hilarare studeret Iopas,  
8           temptavit variis frigida corda jocis.  
9   Lesbia nil Sappho, nihil ipsa Corinthia Lais,  
10          nil Helene potuit, Laodamia nihil.  
11   Barbara, Celarent, Darii, Ferio, Baralipton,  
12          incipit, hic illi cymbala versus erat.  
13   Hoc, subito, audito ridens, saliensque, canensque,  
14          o, ait, Orpheis aemula plectra modis.  
15   Imo novus factus mox ipse Poeta sonabat,  
16          omnis homo currit, nullus homo est asinus.

## IN PICAS.

E1\_062 v.1       Ergone Phoenicem te garrula pica putabis,  
2           quod merito nuper coeperis igne mori ?

## IN AEMULUM.

E1\_063 v.1       Cur tua qui nuper riserunt monstra, ducentis  
2           ex aliis unum me male scurra petis ?  
3   Forte quod ex ipso videar tibi nomine, quem tu  
4           vel nullo victum sternere marte queas.  
5   Nescis ? Sunt etiam parvis data spicula vespis,  
6           et sua formicas ira juvare solet.

## AD APHRUM.

E1\_064 v.1       Quod mihi formosus numquam placet Apher Alexis,  
2           major, quam Corydon, rusticus esse putor,  
3   et rudis indignos, qui spernat Mopsus amores,

4 lactucasque refers quaerere labra suas.  
 5 Mopso Nysa data est, Nysam sibi Mopsus habebit,  
 6 formosum Corydon pastor Alexin amet.

## AD GALENUM.

E1\_065 v.1 Egregios inter tot Homeros atque Marones,  
 2 quo potui coepi Choerilus esse modo,  
 3 cruda tibi nuper ludens elegidia misi,  
 4 et mihi sunt silvae reddita ligna tuae.  
 5 Sed procul haec altis nimium radicibus haerent,  
 6 in nostrum timeo non aditura focum.  
 7 Nunc ego me vellem fore blandis Orphea chordis,  
 8 tentarem querulis attrahere illa sonis.

## DE QUODAM PRAEPOSITO.

E1\_066 v.1 Hic qui prima tenet tristi subsellia vultu,  
 2 et tonsos inter praestat honore patres,  
 3 pauper erat quondam, nec cuiquam notus amico,  
 4 saepe piam sacra cepit in aede stipem.  
 5 Nunc quod plena habitet ditissimus atria servis,  
 6 quotque tegat Serum vellere scorta, vides.  
 7 Quae bona divitias dederit fortuna requiris,  
 8 et qua nam factus sit modo tantus ope ?  
 9 Levis adhuc juvenis Romana palatia visit,  
 10 hic se principibus subdidit ille viris.

## AD LUSCUM.

E1\_067 v.1 Quotquot adhuc veri fuerant moriuntur amici,  
 2 sic mihi perpetuo sors inimica jubet.  
 3 Non tamen est quod ob id possis tibi, Lusce, timere,  
 4 non es, nec nobis verus amicus eras.

## AD AUITUM.

E1\_068 v.1 Centum sollicitas aeterna lite patronos,  
 2 totque miser rabulas pascis, Avite, reus.  
 3 Non tantis opus est turbis, rem finiet unus,  
 4 orator Plutus, praesto sit ille tibi.  
 5 Qui quot agit vincit sub quovis iudice causas,  
 6 ut melior numquam Scaevola nec Cicero.

## EPITAPHIUM STINGELAMERI.

E1\_069 v.1 Qui potuit magni comprehendere sidera caeli,  
 2 hic tegitur parva Stingelamerus humo.  
 3 Et nisi quae norat, coram quoque posse tueri  
 4 optasset, Pylius viveret ille senex.  
 5 Ut qui Paeonias clarique Machaonis artes,

6 doctus, ab infernis te revocasset aquis.

AD FICINUM.

E1\_070 v.1 Miraris quod, qui dominae servivimus Annae,  
2 tam miseri plures non habeamus opes,  
3 non dat ei, qui sit meritus, fortuna, sed illi,  
4 cui favet, haec nescis ? Est inimica mihi.

IN FIGULINAM.

E1\_071 v.1 Quod perfractus hiet paries tibi, desine natos  
2 objurgare meos, qui nocuere nihil.  
3 Hanc ad te repens rimam perrupit Iason,  
4 cui, male si fecit, dic male, parce meis.

DE CABALLO.

E1\_072 v.1 Quod sit in apposita mox primus lance Caballus,  
2 gallinisque alas desecet atque pedes,  
3 non inciviles ostendit Olympice mores,  
4 sed cavet emensa ne fugiant epulae.

DE AULO ET CARINO.

E1\_073 v.1 Posse deum Venerem dici negat inscius Aulus,  
2 saepe licet Calvum Virgiliumque citem.  
3 Doctior assentit vel neutro teste Carinus,  
4 utriusque quidem scit Venerem generis.

IN AEMULUM.

E1\_074 v.1 Si tibi sublimi cantata tragoedia versu,  
2 et multae Satyrae grande volumen habes,  
3 si tot in innumeras crevere Epigrammata chartas,  
4 estque gravis vincens bella Maronis opus.  
5 Quis malus insipidas furor impulit e dere nugas ?  
6 Quas, nisi cui sapiunt frivola, nemo probat.  
7 Non ego, si possem Smyrnaeum reddere vatem,  
8 pessimus in populo Choerilus esse velim.

IN EUMDEM.

E1\_075 v.1 Tunc tuo naso nihil esse sagacius, inquis,  
2 qui propria olfacias prorsus oleta nihil ?  
3 Eructata quibus concedunt allia, quique  
4 putribus ex ovis pessimus exit odor.  
5 Haec tamen in medium profers ut aromata vulgus,  
6 proque mero moschi pure licere putas.  
7 Murilegum referens, tua conde cacamina, felem,

8 nec tunicas turi perde crocoque suas.

AD SE IPSUM.

E1\_076 v.1 Quid furis, Eurici, quid tanta accenderis ira ?  
 2 Nemo bonus dixit te tamen esse malum,  
 3 cum pia doctorum te laudet turba, quid ille  
 4 nominibus poterit scurra nocere tuis ?  
 5 Candidiora suae nemo praeconia laudis,  
 6 malit, ab hoc tali quam nebulone peti.

AD UXOREM.

E1\_077 v.1 Cara doles quod nulla feras funalia, conjunx,  
 2 cras ubi tot capiunt lucida templa faces.  
 3 Non opus est ista pectus corrodere cura,  
 4 est quae me gravior sollicitudo premit.  
 5 Non vel turicremis accensas ignibus aras,  
 6 sed vult offensus te lacrimare Deus.  
 7 Plange, dole, pia corda leva, veniamque precare,  
 8 sique quod est pura mente fatere nefas.  
 9 Gratior ascendit numquam caelestia fumus,  
 10 non sunt quae superos plus holocausta movent.

AD FORTUNAM.

E1\_078 v.1 Major in aerumnis vitae pars hactenus acta est,  
 2 quae mihi nunc veniant tempora, diva refer.  
 3 Quando erit illa dies miserum qua fausta poetam,  
 4 ex tanta jubeas surgere pauperie ?  
 5 Musica, fors an ais dum linquam sacra, petamque  
 6 quod sequitur rudis et pessima turba forum ?  
 7 Invideas potius, misero licet, usque poetae,  
 8 hoc ego non possum ditior esse modo.

IN AEMULUM.

E1\_079 v.1 Dum tu maxime clamitur poeta,  
 2 et non plura mihi est papyrus, inquis.  
 3 Quis sit maxime dic poeta sermo,  
 4 donandos tibi rere barbarismos ?  
 5 Et foedos puero tuo soloecos ?  
 6 Infami cedo dexteram flagello.

IN EUMDEM.

E1\_080 v.1 Sum, fateor, semperque fui pauperrimus Irus,  
 2 hoc mihi quod vitium, quod quoque crimen erit ?  
 3 Non meus, ut tuus est, didicit pater esse sacerdos,  
 4 cui sua continuas ara redundet opes.  
 5 Quae suffragetur tibi, plurima turba laborat,



6 unius ex callo vix ego vivo manus.  
 7 Dat tenuem nobis victum justissima tellus,  
 8 veh tibi qui sacra luxuriaris ope.

## IN EUMDEM.

E1\_081 v.1 Obscuro qui te natum putat esse parente,  
 2 errat, habes generis nobile stemma tui.  
 3 Praelustris pater est cui supplice surgit honore,  
 4 et nudum inclinat virque puerque caput,  
 5 quique Indas indutus opes, Tyriosque colores,  
 6 apponit labris aurea vasa suis.  
 7 Quem penes a summo concessa tonante potestas,  
 8 claudere caelestes et reserare fores.  
 9 Tam celebres numerans majores jure superbis,  
 10 et vilis merito nos tibi turba sumus.

## EPITAPHIUM IN QUATTUOR HAERESIARCHAS EX PRAEDICATORUM ORDINE BERNAE COMBUSTOS.

E1\_082 v.1 Si quis ad haec forsan divertis busta viator,  
 2 sanctus hic est, gressum siste profane, locus.  
 3 Quattuor hic nostrae fidei luxere lucernae,  
 4 factaque ridenti sunt holocausta deo.  
 5 Nullus ita acceptos mactavit apella juvencos,  
 6 non hecatombaei gratior ara sacri.

## ALIUD.

E1\_083 v.1 Hos quicumque vides nigros fuligine postes,  
 2 accipe quam nostri rem stupuere dies.  
 3 Quattuor infames monachos hic abstulit ignis,  
 4 maximus est, quae sit, dicere, culpa, pudor.  
 5 Pauca legis, parvo breviter complexa libello,  
 6 cetera non populum crimina scire licet.  
 7 Si sciet, invisus nullum dabit amplius assem,  
 8 et misera totus concidet ordo fame.  
 9 Tot licet explicitis suspendat signa tabellis,  
 10 milleque det centum milia pontificum.

## ALIUD.

E1\_084 v.1 Aeternam requiem frustra cantatis, amici,  
 2 rejicit irascens irrita vota deus.  
 3 Nulla malis spes est amissum poscere caelum,  
 4 perpetua est nobis sub Phlegetonte domus.  
 5 Tota cohors uno semel ardeat igne necesse est,  
 6 si nostrum vultis forte piare scelus.

## ALIUD.

E1\_085 v.1 Hocne putas justum quisquis legis ista viator,

2           hocne potes sana mente probare nefas ?  
 3       Forte novum superis tentavimus addere divum,  
 4           ad Stygios turpi mittimur igne lacus.  
 5       Si Deus ista piis pro factis praemia reddit,  
 6           quam gravis infectos crimine poena manet ?

ALIUD.

E1\_086 v.1       Quotquot adhuc reliqui superestis vivite, fratres,  
 2           et sit perfricto nullus in ore pudor.  
 3       Est mala de nobis per totum fabula mundum,  
 4           nostraque jam cunctis finibus ausa patent.  
 5       Sed brevis illa dies speramus conteget, et vix  
 6           unus, qui scelus hoc credat, et alter erit.  
 7       Omnia vos populo jurati vera canetis,  
 8           subque pia nullum re latuisse dolum.  
 9       Vique sit in sanctum ficta illa calumnia Thomam,  
 10           et nos indignos hoc periisse rogo.  
 11       Tunc nova martyribus nobis sacrabitur aedes,  
 12           stabit et haec celebris carnificina locus.  
 13       Tunc quoque vos vestri dicetis stigmata fratris,  
 14           tunc qui vos, etiam plus, decorabit, erit.  
 15       Nec solus tanto Franciscus honore valebit,  
 16           accipiet gravior cerea vota tholus.

ALIUD.

E1\_087 v.1       Heus, tu quo properas adeo festine viator ?  
 2           Hicne tibi tanti est, ut remorere, locus ?  
 3       Quem tot ab extremis cupiunt invisere terris,  
 4           ut minus in Solymo sancta sepulchra jugo.  
 5       Quattuor hic illi perierunt haeresiarchae,  
 6           immo sub humana daemones effigie.  
 7       Immo pejores Monachi, quis talia daemon,  
 8           audeat, aut possit crimina perficere ?  
 9       Quaene rogas superae cujusvis incola terrae ?  
 10           Jam vetus haec merso fama sub orbe volat.

ALIUD.

E1\_088 v.1       Quis quod cunctarum sit permutatio rerum,  
 2           non videt, et subitas vertere quaeque vices ?  
 3       Qui fidei nuper magni luxere magistri,  
 4           et nitidum populo praenituere jubar.  
 5       Aeterna Stygii mersi sub nocte baratri  
 6           non, nisi quod praebent sulfura, lumen habent.

ALIUD.

E1\_089 v.1       Quisque suo monachus multum licet ordine crimen  
 2           perpetret, infernas, quod tremefactet aquas,  
 3           non est plura tamen, non est majora quis ausus,

4           quam variis Picis aemula monstra notant.  
 5       Nil horum incestus, raptus, stupra, furta, venenum,  
 6           quaeque rudem plebem talia mille latent.  
 7       Ultus hic est illis longe magis horrida campus,  
 8           si dicam stupida, vel Nero, mente cades.  
 9       Audiit haec viditque datas hoc caespate poenas,  
 10           et sua percussus flumina pressit Arar.

ALIUD.

E1\_090 v.1       Quis modus et quis erit (proh mitia numina) finis,  
 2           quisque pudor sceleris pessima secta tui ?  
 3       Nonne satis tua quod jamdudum fama laborat ?  
 4           Nonne satis Sodomum, nonne Gomorra satis ?  
 5       Et ne plura loquar, quae cetera turpiter audes,  
 6           toxica sacrificata liba dedisse manu ?  
 7       Quod si flagitiis certas, jam desine, vincis  
 8           vel quod commissum fertur ubique nefas.

ALIUD.

E1\_091 v.1       Non magis admiror miscentem proelia Turcam,  
 2           salvificae signum contemerare crucis,  
 3       nos penes existunt majores illius hostes,  
 4           quos etiam magnos dixeris esse Deos.  
 5       Hoc mihi si forsitan quis nolit credere verum,  
 6           patratum Bernae quaeritet ille scelus.  
 7       Cujus hic auctores merito locus abstulit igni,  
 8           nobilis in longos carnificina dies.  
 9       Candida ne frustra tu manibus astra preceris,  
 10           quos ferus aeterno carcere Pluto tenet.  
 11       Et sita non ores ut molliter ossa quiescant,  
 12           haec vagus in Rheni flumina volvit Arar.

ALIUD.

E1\_092 v.1       Tam taetro quod olet combustus caespes odore,  
 2           accipe si dubius forte viator ades.  
 3       Quattuor infernum subeuntes daemones antrum,  
 4           hoc hominis formam deposuere loco.  
 5       Foedaque liquerunt post se vestigia, quae non  
 6           pertulit obscaenas Phineus inter aves.

ALIUD.

E1\_093 v.1       Quam Styga, quam Lethen, quem vobis imprecet Orcum,  
 2           quaenam pro tanto crimine poena satis ?  
 3       Non quod Aloidas tenet et Titanas opacum,  
 4           non Salmonaeum quae piat umbra nefas.  
 5       Non rota, non vultur, non insuperabile saxum,  
 6           non sine fine fames, non sine fine sitis.  
 7       Denique si coeant, quae totum cuncta barathrum

8 claudit, ad hoc vestrum nil scelus illa forent.

ALIUD.

E1\_094 v.1 Desine flere tuos Christi pia turba parentes,  
 2 nec male detentis manibus esse time.  
 3 Quattuor hi postquam subierunt tartara fratres,  
 4 omnibus est aliis facta repente quies.  
 5 Scilicet huc cunctas vertit sententia poenas,  
 6 nec tamen has iudex sat Rhadamanthus ait.

ALIUD.

E1\_095 v.1 Quis tamen hic error, quae caecae insania mentis,  
 2 destituit tantos a ratione viros ?  
 3 Unius ob maculas hominis detergere Thomae,  
 4 tentarunt omnes contemere deos.  
 5 Quod, quia difficile, inceptum ut deducere possent,  
 6 nullum sacrilegi praeteriere nefas.

ALIUD.

E1\_096 v.1 Impia resciscens Arar hujus crimina sectae,  
 2 Oceano refugit nuntia ferre mari.  
 3 It comes huic Rhenus, qui festinantibus undis,  
 4 per quod in hoc posset currere monstrat iter.  
 5 Omne intromissus longo scelus ordine narrat,  
 6 inque ratam jurans indicat ossa fidem.  
 7 Non mora concreti glaciali cortice fluctus,  
 8 in multos solidi diriguere dies.

ALIUD.

E1\_097 v.1 Quis tam grande nefas unquam vel Turca patravit,  
 2 quam qui se divos esse volunt monachi ?  
 3 Istane contutum te sol spectacula terrent ?  
 4 Spargis adhuc ortum quo prius ore jubar.  
 5 Atreae credam quod ad impia fercula mensae,  
 6 diceris absconsis ater iisse comis ?  
 7 Quod nisi tam clemens moderetur sidera numen,  
 8 jam foret antiquum rursus in orbe chaos.

AD CAUNUM.

E1\_098 v.1 Dum tu forte canis scandentem sidera Christum.  
 2 Mantuaeque studes aemulus esse tubae.  
 3 Ipse meae infelix quaerens lenimina curae,  
 4 nescio quae fragili carmina ludo pede.  
 5 Et levibus nugis mundam deperdo papyrus,  
 6 ut tunicas habeant tura crocique suas.  
 7 Atque utinam hoc ea quis non dedignetur honore,

8           nec ferat in loculos foeda cloaca tuos.  
 9       Si videas dices, quis in haec te ludicra vertit ?  
 10       Nec genii credes ista profana mei.  
 11       Crede, suae multi scribunt non consona vitae,  
 12       quis tua quae pangis religiosa putet ?

## AD LIBRUM.

E1\_099 v.1       Non praeceps adeo ruas, libelle,  
           2       quin tuum prius audias parentem.  
           3       Quae mandata tibi det exeunti,  
           4       omnes quot quot ubique litteratos,  
           5       cultoresque novem vides sororum,  
           6       meo nomine plurimum saluta.  
           7       Et si dignus eis videbor, ut me,  
           8       antiquae numero sodalitatis,  
           9       extremum licet, adnotent, precare,  
 10       dehinc ut rhinocerotas atque barros,  
 11       ronchos, auriculas, ciconiasque  
 12       unius facias pili memento.  
 13       Demum quam potes eminus proculque,  
 14       declines, fugias, abomineris,  
 15       tectos taetrico hypocritas cucullo,  
 16       rugosamque senum severitatem,  
 17       et tantum placitos sibi sophastros,  
 18       invisum Latiis genus camenis.  
 19       Hoc est quod volui, osculare patrem,  
 20       aeternumque vale, miselle fili.

## EURICII CORDI EPIGRAMMATUM LIBER SECUNDUS.

## AD PHILIPPUM HESSIAE PRINCIPEM.

E2\_001 v.1       Quae mihi reddideris pro misso dona libello,  
           2       omnis, quae legit haec carmina, turba rogat.  
           3       Tunc ego quae possum simulans pro tempore fingo,  
           4       quae me vis certum dicere vera refer.  
           5       Ut quanta in caras tua munificentia Musas,  
           6       exhibeant testem non mera verba fidem.

## AD SORBIUM.

E2\_002 v.1 Si nisi quae bona sunt non vis Epigrammata Sorbi,  
 2 tunc potes a nostris abstinuisse libris.  
 3 Multa quidem mala sunt, pejoraque plura, subinde  
 4 plurima comperies pessima, jamne legis ?  
 5 Sed lege, non majus potes illis perdere tempus,  
 6 quam dum continua nocte dieque bibis.

## DE PAULINO.

E2\_003 v.1 Cum modo succensam staret Paulinus ad aram,  
 2 infusum calici dilueretque merum,  
 3 in mentem subiit, quod heri porrecta negavit  
 4 vina, nec ex aequa pocula parte bibit.  
 5 Indoluit, veniamque precans sua pectora planxit,  
 6 o justum, et vera religione virum.

## DE PHALISCO.

E2\_004 v.1 Non ego contemno profitentem graeca phaliscum,  
 2 sed non sum docilis, sentio, discipulus.  
 3 Non imitabilis est nostrae prolatio voci,  
 4 hoc si dicendum, quo docet ille, modo.  
 5 Accinit, amissas Mopsum clamare juventas,  
 6 aspirat, tussim dixeris esse suis.  
 7 Non satis his pulmo, non sunt satis ilia verbis,  
 8 nec quae sint aliquis flamina follis habet.

## IN MAEVIUM.

E2\_005 v.1 Mentiris tua me carpsisse poemata Maevi,  
 2 cara tribus constant assibus illa mihi.  
 3 Vendidit, et nullum juravit habere lucellum,  
 4 conquestus chartas bibliopola suas.  
 5 Non referre tua puto si mea carmina purgem,  
 6 et jugulans totum virgula signet opus ?

## AD POLYPHEMUM.

E2\_006 v.1 Quid quod ubique sacris indicta silentia templis,  
 2 quod perpetratum, dic, Polypheme, scelus ?  
 3 Prensus apud moecham crudeli caede sacerdos,  
 4 occidit, hoc parvum dicis inique nefas ?  
 5 Dico, sed hoc ingens, rivalem scire patique,  
 6 qui vigilans dormit, qui bonus ille vir est ?

## IN FIGULINAM.

E2\_007 v.1 Qui mihi te daemon vicinam fecit, hic idem  
 2 auferat Hercynios hinc procul in scopulos.

3 Qua tibi consortes ascenso stipite sagae,  
 4 convivam celebrant trans juga longa chorum.  
 5 Non inter castas deberes vivere matres,  
 6 te decet infamis pessima laena locus,  
 7 hic ubi parvus habet nomen de passere vicus,  
 8 publicus hic fornix est tua, vade, domus.

DE HENRICO LEONE IN RECTOREM ELECTO.

E2\_008 v.1 Romule adulator Decimo blandire Leoni,  
 2 hac nobis colitur primus in urbe Leo.

IN LIBELLUM EOBANI DE VITANDA EBRIETATE.

E2\_009 v.1 Legit ut Ebrietas hujus maledicta libelli,  
 2 o quoties dixit talia mane tuli.  
 3 Scilicet insanum tunc est et triste cerebrum,  
 4 et nimio impatiens ira dolore furit.  
 5 Haec mihi qui sero sub vespere crimina dicat,  
 6 credite Germano rarus in orbe vir est.

IN UMBRUM.

E2\_010 v.1 Multa tibi ridens dicit ludibria vulgus,  
 2 quod flaccum hinc jacias Umber et inde caput.  
 3 Ignorat quanta sit onustum mole cerebrum,  
 4 quam grave, nos scimus, sustinet illud onus.  
 5 Tot siquidem dubiis, tot item farcitur Elenchis,  
 6 ut queat una salis non bene mica capi.

IN MALEDICAM ANUM.

E2\_011 v.1 Quaedam me mala lena criminatur,  
 2 quam magnis ego laudibus ferebam.  
 3 Sed nec credula plebs mihi nec illi,  
 4 se, qualis sit uterque, scire dicit.

DE ARRIO.

E2\_012 v.1 Impius est, raroque sacras petit Arrius aedes,  
 2 contemptae causam religionis habet.  
 3 Non videt ex alto porrectum limine sertum,  
 4 nec grave ficedulis, anseribusque veru.  
 5 Turbidulas offert intranti porticus undas,  
 6 et quem jejuno lingimus ore salem.  
 7 Quaeque glabri ostendunt et liba et pocula mystae,  
 8 in media soli plebe bibunt et edunt.  
 9 Hos merito exosus ritus magis Arrius optat,  
 10 prisca Thyonei sacra redire patris.

## AD IOANNEM EMERICUM.

E2\_013 v.1 Tristia funestam minitantur sidera cladem,  
 2 estque novus dirae pestis ubique timor.  
 3 Nil, Emerice, time, servantia pharmaca dicam,  
 4 quamque vel Hippocrates non daret antidotum,  
 5 nec tot olens species Mithridatis synthesis aequet,  
 6 nec moly omnigenis utilis herba malis.  
 7 Ut facis abjectas miseratus respice musas,  
 8 quam modo coepisti pergere curre viam.  
 9 Tam modo despectos tutare juvaque poetas,  
 10 et centum columis vivere saecla potes.

## DE AUITO.

E2\_014 v.1 Tres farris modios facilis promisit Avitus,  
 2 dictus et hinc praesens est Deus ille mihi.  
 3 Sed quia, Christe, doces hominem non vivere tantum  
 4 pane, sed et verbo, dat mihi verba deus.

## AD JUSTUM.

E2\_015 v.1 Unum rogatus ut mihi dares Ursum,  
 2 decem Leones, et duos statim Cervos  
 3 tam liberalis atque munificus mittis,  
 4 sic o tibi, quod tu deum rogas, detur.

## DE IULIO II.

E2\_016 v.1 Mortuus ad superam divorum Julius aulam  
 2 venerat, et clausas viderat esse fores.  
 3 Insertasque diu versans hinc indeque claves,  
 4 "Non, ait, haec caeli, quae fuit ante, sera est."  
 5 Janitor ut crepitum Petrus audiit, obvius exit,  
 6 et quare veniat, "Quis sit, et unde?" rogat.  
 7 Auratum ille pedum monstrans, triplicemque coronam :  
 8 "Non summum agnoscis, perfide, Pontificem?"  
 9 Tum Petrus : "Huc", dixit, "tibi non succedere fas est,  
 10 quod quis vendiderit non putet esse suum."

## DE CHRISTIANORUM JUDAISMO.

E2\_017 v.1 Flete malos mores, et nostri perfida saecli  
 2 tempora, et infandum terrificumque scelus.  
 3 Quam veterum integritas docuit pietasque parentum,  
 4 Judaica infecta est religione fides.  
 5 Incipiunt nostri pueros praecidere mystae,  
 6 sacraque putentes sustinet ara capros.  
 7 Cur quae saeva bonis confestim flamma minaris,  
 8 invisos superis non populare viros ?



## DE JUSTO.

E2\_018 v.1 Si veterem tibi vis Justum servare sodalem,  
 2 nil pete, non ut des, sic quoque ne det amat.  
 3 Rarus hic est, qui dum quem pauper haberet amicum  
 4 hunc quando petiit non quoque perdidit.

## AD FACUNDUM.

E2\_019 v.1 Hic ubi sedit heri, viridantes inter avenas,  
 2 occubuit fossus praepete glande lepus.  
 3 Quem facunde tuae torrendum mitto culinae,  
 4 namque meo multo est longior ille veru.  
 5 Vix capit id fartam lardo caepaque columbam,  
 6 quique paludoso mergus ab amne venit.

## AD PAETUM.

E2\_020 v.1 Nil Italos jactans nasos mihi, Paete, mineris,  
 2 non illuc talis pervenit iste liber,  
 3 utpote qui tenuis, nudus sitit, esurit, alget,  
 4 ut patriam possit vix peragrare suam.  
 5 Esto tamen claudo quod eo pede repserit olim,  
 6 quis velit ex media Romula barbarie ?  
 7 Praesertim ex illo qui non nisi barbara vidit,  
 8 et cui nullus in hac arte magister erat.  
 9 Libera qui nec habet sine tristibus otia curis,  
 10 qui cum continua dimicat usque fame.

## DE STENTORE SACERDOTE.

E2\_021 v.1 Ante stetit nudum sine cultu et nomine saxum,  
 2 nunc nitet aurato Stentoris ara Rocho.  
 3 Non magis infossis hunc dices parcere nummis,  
 4 illius hic multo ponitur aere deus.  
 5 Unde sit haec nova religio mirabere, dicam,  
 6 venturam pestis legerat ille luem.

## IN AEMULUM.

E2\_022 v.1 Si nescis erras, brevis est "ES" syllaba, quam tu  
 2 protrahis, et male me corripuisse refers.  
 3 Id mihi non credis, sed plurimus undique testis,  
 4 qui te convincat, me tueatur, erit.  
 5 Persius hinc, illinc cui patria Bilbilis auctor.  
 6 Alter "fur es" ait, "moechus es" alter ait.  
 7 Et quid ad hoc dicis ? "Delator es", et quid ad illud ?  
 8 "Dignus es aut porcos pascere", suntne satis ?  
 9 Plura voles forsan, possum tibi dicere plura,  
 10 "Magnus es ardelio" ; si vir es ecce nega.  
 11 His si non fueris contentus, habebis et istud,  
 12 tu quod es, e populo quilibet esse potest.

13 Pactus es ipse caper, fraudator es, objicit idem,  
 14 et fellator es et non es et es Chione.  
 15 Quin etiam accedit major, vel utroque, Catullus,  
 16 et sua cui tantum Delia fecit opus.  
 17 Hic tibi reclamationem : "Puerum corrumpere es ausus".  
 18 Alter : "Descendis, multus es et pathicus".  
 19 Consentire mihi jam te puto, si qua negabis  
 20 contra te testes noveris esse tuos.

AD CERUINUM LUDIMAGISTRUM.

E2\_023 v.1 Dicis inesse meis Venerem, Cervine, libellis,  
 2 non nego, sed turbae non nocet illa tuae.  
 3 Quandoquidem tali circumvestitur amictu,  
 4 ut sacra, vel Mariae, posset imago coli.  
 5 Plus sunt casta tamen, quae tu scribisque docesque,  
 6 nulla quibus fertur prorsus inesse Venus.

DE BARBARA.

E2\_024 v.1 Ter gravidum gessit, ter mater Barbara ventrem,  
 2 casta tamen salvo virgo pudore manet.  
 3 Non mirum si, quod genitrix natura frequentat,  
 4 lascivae Zephyrus viscera tendat equae.  
 5 Dum per aprica Petri juga, per sacrumque Severo,  
 6 et Mariae Collem nocte dieque furit.

AD HENRICUM HEREBOLDUM.

E2\_025 v.1 Et si Pygmaea natus de gente videris,  
 2 caelifero tamen es major Atlante gigas.  
 3 Qui super immensum transcendis vertice mundum,  
 4 et cujus tantum est, quod tenet astra, caput.

IN MALUM POETAM.

E2\_026 v.1 Quid dabis, et tales tornare docebere versus,  
 2 ut putet hos Clarii, qui legit, esse dei ?  
 3 Ex Italisne refers prius id didicisse magistris ?  
 4 Mercedem certe non meruere suam.  
 5 Nil dabis, hoc ultro tibi gratis offero munus.  
 6 Tu mea jam memori pectore verba tene.  
 7 Purgatas hominum nihil amplius effer ad aures,  
 8 sed solus tecum, quae facis, ipse lege.

IN EUMDEM.

E2\_027 v.1 Non indigna premi, quod ais, tua carmina dixi,  
 2 imo in perpetuos esse premia dies.

## AD OTHONEM BEGMANNUM.

E2\_028 v.1 Qui valeam, qualis mea sit fortuna requiris,  
 2 usque miser tristem perbibō Codrus aquam.  
 3 Scribe aliquid dices, sacram profiteri poesim,  
 4 nulla tibi torpens commoda vita dabit.  
 5 An nescis quod habent hic nullum carmina pondus,  
 6 spretus, ubi regnant barbara, vatis honor.  
 7 Nescio quis numquam desistens currere sortes,  
 8 a stadio perstat nos prohibere suo.  
 9 Hinc sibi nulla canens deportat munera Phoebus,  
 10 sunt Musae mulae, nostraque fama fames.

## AD VERUM.

E2\_029 v.1 Barbara celarent didicere docentque Sophistae,  
 2 hoc ego non studium iudico, Vere, malum.  
 3 Barbara celarent tantum super omnia vellem,  
 4 quantum Castaliae sum sitibundus aquae.

## AD DRACONEM.

E2\_030 v.1 Impatiente fames visum Draco ventre puellam,  
 2 et novus est, illam prendere posse, furor.  
 3 Finge quod obtulerint, duri et sine corde parentes,  
 4 non tua cunctantem tutus in antra ferēs.  
 5 Ne, timeo, vindex ultrice Georgius hasta  
 6 irruat, et capiat fabula picta fidem.

## AD METIUM.

E2\_031 v.1 Non mea perpetuum durare poemata dicis,  
 2 hoc ego dicebam saepius ipse mihi.  
 3 Scribo ut prostituam, non ut mansura reponam,  
 4 tantisper vivant, dum mihi des pretium.  
 5 Sic omnis figulus, sic omnis cerdo laborat,  
 6 qui modo quod vendit cras periisse cupit.

## IN NIGRAM.

E2\_032 v.1 Quod, Nigra, te moecham dixi furemque maritum ;  
 2 in gemini me vis sistere jura fori.  
 3 Teste probabo nefas, non unus sufficit, inquis,  
 4 qui novit totus non satis est populus ?

## IN TELESINUM.

E2\_033 v.1 Admonet acceptus prima me fronte libellus,  
 2 ut dormire sinam te, Telesine, canem.  
 3 Tu ne canis dormis, rabido qui mordicus ore,  
 4 quemlibet incurris dilacerasque bonum ?

5 Et per strata, vias, cauponas, lustra, tabernas,  
 6 balnea, tonstrinas, atria, templa, latras ?  
 7 Non latro respondes, verum est, ego mentior : hirris.  
 8 Miror post nonum te superesse diem.

## IN EUMDEM.

E2\_034 v.1 Crede bona propere te nos liquisse volucris,  
 2 et tibi matura consuluisse fuga.  
 3 Nam nova praefixit mandans edicta senatus,  
 4 ignavos perdi degeneresque canes.  
 5 Vae tibi si, quamvis collum signatus adesses,  
 6 incideret capiti prima ruina tuo.

## IN TRISTES CONVIVAS.

E2\_035 v.1 Quid juvat usque adeo tristes simulare Catones,  
 2 vos modo convivas, non decet esse sophos.  
 3 Desipere est semper sapere, et non tempora nosse,  
 4 nec qui laeta velit, quique severa locus.

## IN GLUTIUM.

E2\_036 v.1 Quam malus es, Gluti, si fas est dicere, pastor,  
 2 curandumne tibi Christus ovile dedit ?  
 3 Quae sua commisso pecori sunt pabula nescis,  
 4 quod virga, ut capras, glande cibus, ut apros.  
 5 Aetatis neque sunt, neque sunt discrimina sexus,  
 6 est idem vervex agnus et agna tibi.

## DE COMMENTARIIS PHILOENI.

E2\_037 v.1 Exstant plurima ubique plurimorum  
 2 commentaria, sed legens Philoeni  
 3 non illis luculentiora dices.  
 4 Erro candide, parce, lector erro,  
 5 longa est syllaba quae brevis fit hic 'Lu-'.  
 6 Hoc parvo vitium labore tolles,  
 7 si stanti prope litterae pusillum  
 8 sursum dans apicem legas, ut haec sit  
 9 mutarum ultima, quae secunda nunc est,  
 10 et, non sunt lutulentiora, dicas.  
 11 Qui mox tollitur, est ferendus error.

## DE CROCIDE ANU.

E2\_038 v.1 Ter tribus emit Anus noctem Crocis Hectorsa nummis,  
 2 ille suam dedit hac condicione fidem,  
 3 ut toties faceret, quot hians ostendere dentes  
 4 posset, et haec, quamvis non bene, pacta placent.  
 5 Haec hiat, hic numerat, superest vix putridus unus,

6           inde semel, sed non dulce, peregit opus.  
 7       Et modo succensa cum vellet abire Lucerna,  
 8           ut maneat parvam, postulat illa, moram,  
 9       inque cava quaerens radicum fragmina carne :  
 10       "Des, ait, haec quantum, te rogo, frustra valent."

## AD IACOBUM HORLLUM.

E2\_039 v.1       Quod laudet paucos, multos liber iste lacessat,  
 2           moribus adscribas non Iacobe meis.  
 3       Haec populi culpa est, in quo rarissima virtus,  
 4           atque frequens vitium, hoc reprobat, hancque probat.

## DE PRAECIPITANTIA.

E2\_040 v.1       Dicite vos, quoniam me non videt illa, nec audit,  
 2           quae prope stat pronis semicaduca rotis.  
 3       Nonne vides titulum ? Lege, Praecipitania fertur,  
 4           Moria quam genitrix Impete patre tulit.       (μωρία : folie)  
 5       Cur habet obducto caecum velamine vultum,  
 6           quidque quod adversas obstruit auriculas ?  
 7       Non circumspecta est, nec provida, surdaque nullum  
 8           consilium admittit, det licet ipse Solon.  
 9       Quis tu, quaeque tibi socia, et quae denique causa est,  
 10       pone quod adstrictos vos dea fune tenet ?  
 11       Error ego, adstanti nomen Metanoea sorori,  
 12       nos secum comites, quo ruit illa, trahit.

## IN MALUM POETAM.

E2\_041 v.1       Si malus attingit tantum sublimia livor,  
 2           nulla est causa libro quod vereare tuo.  
 3       Quem ridens aequo miseratur pectore lector,  
 4           exoptatque tibi sanius esse caput.

## IN GLUTIUM.

E2\_042 v.1       Quot quot habes, Gluti, cognoscere diceris agnas,  
 2           jam bonus ex Christi dogmate pastor eris.

## DE NOVIS GRAMMATICIS.

E2\_043 v.1       Est nova Grammatice, quae per fera bella docetur,  
 2           est quae punctato luditur alveolo,  
 3       sit modo quae multo vini quincunce bibatur.  
 4           Et fore Germanos credite Grammaticos.

## IN PHILOENUM.

E2\_044 v.1       Qui fit amice, tui quod nolunt currere versus,

2 et tamen his septem sunt, sine splene, pedes ?  
 3 Imo leves nulla rerum gravitate premuntur,  
 4 ec minimum quiddam, quod remoretur, habent.

## AD SINCERUM.

E2\_045 v.1 Quod dominam tanta celebravit laude Camillam.  
 2 Vis hinc quae tulerim munera scire ? Nihil.  
 3 Non hoc illius est vitium, sed maxima virtus,  
 4 non placet hic, quem scit dicere falsa, liber.

## DE SE IPSO.

E2\_046 v.1 Autumnale velut sero sub tempore cordum,  
 2 ultimus effetae sic ego natus eram.  
 3 Conveniens igitur Cordi cognomen habebo,  
 4 dii faciant illo post mea fata vocer.

## IN ACLETUM.

E2\_047 v.1 Quotquot ubique parant magnates prandia cives,  
 2 te quoque convivam semper adesse refers.  
 3 Magna invitatis ubi gratia habetur amicis,  
 4 qui venias ultro, major agenda tibi est.

## DE HERMOGENE.

E2\_048 v.1 Consul erat quondam, dehinc praeco, deinde satelles,  
 2 mox tortor, demum bajulus Hermogenes.  
 3 Nunc lacer in sacra mendicus obambulat aede.  
 4 Gaudeat Hermogenes, non magis ille perit.

## DE FRONTONE.

E2\_049 v.1 Cum faceret ruri versus, chartisque careret,  
 2 dicitur in planam Fronto notasse nivem.  
 3 Dignior huic numquam continget pagina vati,  
 4 haec nisi, vel ventus, vel fluvius fuerit.

## IN CONCUBINARIOS SACERDOTES.

E2\_050 v.1 Exiit a summo mandatum Praesule, ne cui  
 2 ulla sacerdoti serva sit aut famula.  
 3 Non transgressus adhuc sacer illi paruit ordo,  
 4 nulla sacerdoti est serva, sed est domina.

## DE PHILOENO.

E2\_051 v.1 Prensus adulterio media inter tela Philoenus,

2 "Summe tuam, dixit, Juppiter adfer opem.  
 3 Si mea devictum jam dextera straverit hostem,  
 4 tunc faciam vitulam munera magna tibi."  
 5 Cum volet ille deo promissum solvere votum,  
 6 tunc pecoris custos sis Meliboee tui.

## IN EUMDEM.

E2\_052 v.1 Qua tamen hoc vates ratione, Philoene, tueris,  
 2 quod, faciam vitulam munera magna, refers ?  
 3 Sacrifico facio est, pueri quod scivimus olim,  
 4 sed vitulam facere, hoc sacrificare nego.  
 5 Si vitulam facere, est tibi sacrificare, parasque,  
 6 ne, cum sacrifices, sacrificere, cave.  
 7 Quam meliora mihi Damaetae sacra placebunt,  
 8 ille quidem vitula, non vitulam faciet.

## DE LODOVICO PLACENTA.

E2\_053 v.1 Mille licet plena ponas bellaria lance,  
 2 vel modo Romanus qualia luxus amat.  
 3 Praesenti huic uni cedent ea cuncta Placentae,  
 4 quod magis oblectet, vel sapiat nihil est.

## IN BARBARAM.

E2\_054 v.1 Non tam turpe potest dici tibi, Barbara, verbum,  
 2 ut tua mutatus purpuret ora color.  
 3 Nulla verecundum faciunt peccata pudorem,  
 4 Phy pudeat saltem, te puduisse nihil.

## AD BARTHOLOMAEUM GOCIUM.

E2\_055 v.1 Quis furor est dulces patriae te linquere fines,  
 2 vasta Polonorum velleque regna sequi ?  
 3 Tantane, dic, aulae te Bartholomaeae cupido  
 4 cepit, ut hoc cupias incoluisse solum ?  
 5 Hacne putas tecum comites concedere musas ?  
 6 Non habitant istae barbara rura Deae.  
 7 Imo non aliquam facile admittuntur in aulam,  
 8 nullus eis locus hic, nullus amor, nec honor.  
 9 Non sinit hoc praesens cor nostris regibus aevum,  
 10 ut poterint doctos nosse patique viros.  
 11 Mimus, adulator, parasitus, morio, nanus,  
 12 histrio, leno, dicax, ludio, scurra, placent.  
 13 Haec sola in pretio est illis et honore farina,  
 14 nunc age dic, potes hoc aulicus esse modo ?

## AD BERTRAMUM DAMMUM.

E2\_056 v.1 Docte puer, supra teneris quam creditur annis,

2 candida Saxoniae gloria, Damme, tuae.  
 3 Quam facili currunt tibi levia carmina ductu,  
 4 quam certo graditur culta Thalia pede.  
 5 Ardua scansurus Parnassi culmina perge.  
 6 Multa licet mediis sint fruticeta viis.  
 7 Densa vides tandem cum tempore spina recumbit,  
 8 quae dudum nobis hoc prohibebat iter.  
 9 Non duo te scopuli sublimi caute fatigent,  
 10 nec primo lassum tramite siste pedem.  
 11 Tota Camenarum viridem tibi turba coronam  
 12 nectit, et amplexus optat amica tuos.  
 13 Qui vix prima rigat multis jam labra poetis,  
 14 Castalio totum prolue fonte caput.

## AD CHRISTOPHORUM HACUM.

E2\_057 v.1 Quod tibi donatos mavis emisse libellos,  
 2 et plus quam prostant, quam volo das pretium.  
 3 Non aliud possum doctissime dicere vates,  
 4 quam mea quod pluris, quam facio ipse, facis.

## AD IOANNEM ALBERTUM.

E2\_058 v.1 Te mihi munificum fama extulit, audio dixi  
 2 hactenus, at possum dicere nunc, video.  
 3 Pro tantis habeo donis quas debeo grates,  
 4 solius est illas posse referre Dei.

## DE FANNIO.

E2\_059 v.1 Conscendens quoties suggestum Fannius orat,  
 2 et liquidos alto strangulat ore sonos,  
 3 conchiferum rata mendicum vicinia prodit,  
 4 fertque piam tali concita voce, stipem.

## IN PRAELECTURUM ARTEM MEMORANDI.

E2\_060 v.1 Quam bene promissam memorandi noveris artem,  
 2 egregium specimen constat ubique tuum.  
 3 Quod potes illius reminisci aetatis et anni,  
 4 quo tua adhuc mater nullius uxor erat.

## IN FURIUM.

E2\_061 v.1 Fur ego pro Furi dixi te forte vocando,  
 2 qua tuear dictum nota figura mihi est.

## AD SEXTUM.

E2\_062 v.1 Tres emis haleces bis quinque Leonibus, illos



2           si mihi das, librum do tibi, Sexte, meum.  
3       Vis salsos video fatuo pro carmine pisces,  
4           cessavit febris jam tua, Sexte, sapis.

AD QUEMDAM MONACHUM.

E2\_063 v.1       Qui vos exclusi mundo monachique videri  
2           vultis, et insignes religione viri ?  
3       Qui sic errantes totam percurritis urbem,  
4           omnibus in plateis, omnibus inque foris.  
5       Omnibus in ludis, spectaclis, conciliisque,  
6           fornicibus, thermis, denique dic ubi non ?  
7       Non adeo vagus ardelio, non scurra profanus,  
8           et tamen in vestra credimus astra manu.  
9       Quam timeo ne nos haec spes et opinio fallat.  
10       Vae sua, cui veniet non aliunde, salus.

EPITAPHIUM IOANNIS PISTORII.

E2\_064 v.1       Qui mortuum sub hac humo Pistorium  
2           reris jacere, falleris.  
3       Consors dei conviva ad ambrosias dapes  
4           vividet Pistorius.  
5       Hac inde nos in valle mortales videns :  
6           "Miser, inquit, o homuncio,  
7       quid hoc putas modo cupisque vivere,  
8           quod verius dicas mori."

DE PUGNA DUORUM GRAMMATICORUM.

E2\_065 v.1       Certarunt duo grammatici, Probus et Polydorus,  
2           unus, dicendum num sit, an una dies.  
3       Acris utrimque fuit magna contentio voce,  
4           armatas donec conseruere manus.  
5       Unam dumque diem defendit vindice dextra,  
6           tres Probus in laeva perdidit hebdomadas.

IN QUEMDAM MEDICUM INDOCTUM.

E2\_066 v.1       Tam bona sunt oculis, quae tu collyria misces,  
2           ut melius fuerit colliniisse nihil.

DE PERILLA MENDICA MERETRICE.

E2\_067 v.1       Quid pia subtrahitis mendicae dona Perillae ?  
2           Non minus est, quam quae stat prope digna Crocis.  
3       Paenitet hanc actae, si quid fuit improba, vitae,  
4           et dolet admissi territa mole stupri.  
5       Audiit esse minus quoniam se mille profanis,  
6           uni quam sacro substituisse viro.  
7       Mille sacris quondam se substituisse fatetur.

8 Desiit, et peccat jam minus illa, date.

IN QUEMDAM SOPHISTAM.

E2\_068 v.1 Quae legis ad Verum contra te carmina dicis,  
 2 et, licet irascens, is tamen esse cupis.  
 3 Falleris, hoc nemo dignum te censet honore,  
 4 ut vel ab infami sit tibi fama libro.  
 5 Quilibet e vulgo potius te cerdo putatur,  
 6 non est, quam verus, quod minus esse potes.

AD ARMINIUM.

E2\_069 v.1 Ad tua me semper vocitas convivium pransum,  
 2 postque doles nostrum sic properasse cocum.  
 3 En mediae signum dant tintinnabula lucis,  
 4 jejuno, si quid vis, modo fare mihi.

EPITAPHIUM TILOMANNI.

E2\_070 v.1 Hac, sed non totus, jaceo Tilomannus in urna,  
 2 nam meliore mei sidera parte colo.  
 3 Hic si, quae teneo cum divis, gaudia scires,  
 4 mortua tam dulcis non tibi vita foret.

IN FORES HENNINGI GOEDI.

E2\_071 v.1 Adsta, viator, et vide,  
 2 Henningus hanc Goedus domum,  
 3 et has fores imo ex solo,  
 4 Matri Patronae virgini,  
 5 suis locavit sumptibus.  
 6 Illud tibi volui, vale.

EPITAPHIUM NICOLAI OTHONIS.

E2\_072 v.1 Sperate posteri et timete mortales,  
 2 ego utroque liberatus atque securus  
 3 assessor et conviva caelicae mensae,  
 4 inter beata mille milia Divorum,  
 5 non desitura perfruor voluptate.  
 6 Huc vos lubente me sequamini voto,  
 7 ducat propinquans, quos tamen traheret, fatum.

AD AEMERIANUM.

E2\_073 v.1 Aspicias ut castos induta sit Isis amictus,  
 2 nec soleat quoquam pergere sola foras.  
 3 Longa pedes cyclas, pendens tegit ubera peplum,  
 4 post comes in famula cera liberque manu.

5 Tu tamen ostendis nullum, dum transit, honorem.  
 6 Qui sunt hi mores, Aemeriane, tui ?  
 7 Ipse profanus ei non cernuus annuis, ante  
 8 quam sacer obnixo procidit ordo genu ?

## DE ANU RUSTICA.

E2\_074 v.1 Rustica vidit Anus, patulum dum forte cadurcum  
 2 praeterit, expositos cum speculis loculos.  
 3 Quae prope contrectans, rugasque intuta seniles,  
 4 tam mala non olim, dixit, erant specula.

## IN PHILOENUM.

E2\_075 v.1 Numquam convinces male dicti Epigrammata nostra,  
 2 te licet illa malum terque quaterque vocent,  
 3 dicere te esse malum, non est maledicere, verum  
 4 tam bene, quod dici nil melius poterit,

## DE VACIA.

E2\_076 v.1 Octo praediolum pauper sibi Vacia nummis  
 2 emit, et id septem non reor esse pedum,  
 3 tres in eo caepae, duo bulbi, quinque lupini,  
 4 unaque vix gracili brassica caule viret.  
 5 Quoque tamen rediens hinc vespere bajulat ille,  
 6 quas non Alcinoi protulit hortus opes.

## AD PHILLIDA.

E2\_077 v.1 Multus heri leviter tecum convenit adulter,  
 2 et solis poteris credere, Philli, viris.  
 3 En magnis sanctus monachus rem testibus egit,  
 4 et tibi promissam vis dubitare fidem ?  
 5 Nullos pauper habet, neque fas est tangere nummos,  
 6 rus petit, hinc centum cras feret ova tibi,  
 7 centum caseolos, et lini mille maniplos,  
 8 has dabit hic dives Sardanapalus opes.

## AD CHARIDEMUM.

E2\_078 v.1 Quod stata frugali violem jejunia cena,  
 2 me Stygio praedam das, Charideme, Jovi.  
 3 Quando ageres multo, memini, Dionysia luxu,  
 4 victus erat quondam, panis et unda meus.  
 5 Cum non debueram sitii miser esurique,  
 6 nunc debens vetito par ego reddo cibo.

## IN MARCUM LUSOREM.

E2\_079 v.1 Una te medicum fieri trieteride speras,  
 2 nec quanto discas jura labore Macer,  
 3 unus ad hoc annus satis est, satis hebdomas una,  
 4 immo vel hoc medicus jam potes esse die.  
 5 Et plus quam medicus, mendicus nempe rogator,  
 6 si modo sic miseris ludere pergis opes.

## DE OPERCO.

E2\_080 v.1 Irrita concipitis lascivae vota puellae,  
 2 et vanis culta est Juno Venusque sacris.  
 3 Nescio plumbati num fixus arundine teli,  
 4 vos fugit aversans vester Opercus amor.  
 5 Antiquum penitus quando cessisse pudorem,  
 6 et raram thalami vidit hic esse fidem.  
 7 "Aonio intutus castas in vertice musas,  
 8 has, ait, uxores liber habebo meas."

## IN TRAUULUM.

E2\_081 v.1 Quod tam simpliciter fatear me semper egenum,  
 2 degeneris signum, Traule, refers, animi.  
 3 Si verum dicis, non est te clarior alter,  
 4 qui Phrygias simulas indigus Irus opes.

## IN LIBELLUM PRO STRENA MISSUM.

E2\_082 v.1 Ecce recurrentes Jani venere calendae,  
 2 et laeta colitur festus in urbe dies.  
 3 Ultro citroque volant missae per compita strenae,  
 4 ut novus ad votum faustiter annus eat.  
 5 Dat quod quisque potest, tenues mea munera versus  
 6 an placeant, dicet sacculus ipse mihi.

## AD LIVOREM.

E2\_083 v.1 Qui venit, ut qui summa soles, petis infima Livor,  
 2 quid tibi vis ? Nudo pasceris osse nihil.  
 3 I alio, magni tua sint alimenta poetae,  
 4 hoc ego non dignor nomen habere mihi.

## AD SEXTUM.

E2\_084 v.1 Quod tres haleces dixi, me, Sexte, reprendis,  
 2 et non grammaticos scire putas canones,  
 3 qui lautos uno tractas halece sodales,  
 4 pluralem vitas providior numerum.

## IN AEMULUM.

E2\_085 v.1 Falsa quod injicias integrae crimina vitae,  
 2 officium peragis, pessime scurra, tuum.  
 3 Disce prius nostros quam scindas perfide mores,  
 4 non quo consuesti vivere vivo modo.

## IN EUMDEM.

E2\_086 v.1 Te rideo, tuasque contemno minas,  
 2 effunde, quantascumque habes, jam copias.  
 3 Extraque castra bellicosam educ manum,  
 4 et ut potest parata sit ferro phalanx.  
 5 Tibi obviam pusillus iste, quem vocas,  
 6 majorem et expeditiorem exercitum  
 7 movebo, qui, velut vagum vespae bovem,  
 8 te per fragosa tesqua, per densas vepres,  
 9 cavasque valles, alta per cacumina,  
 10 per atra stagna, per paludosos lacus,  
 11 ad infimum usque persequetur Tartarum,  
 12 tecum bona quiesce pace si sapis,  
 13 et his, ut ipse me valere vis, vale.

## IN OBLOCUTOREM.

E2\_087 v.1 Me quidam oblique mordens Holophanta lacessit,  
 2 non caligas dignus solvere docte tuas.  
 3 Scilicet exspectat victurae nomina famae,  
 4 nil agit, in versu non erit ille meo.

## AD SE IPSUM.

E2\_088 v.1 Stultane tam mens est, ut tales nivere nugas,  
 2 sub seraque putem posteritate legi ?  
 3 Posthuma quae veniet, ceu quae praecesserat aetas  
 4 me sciet, hoc vates possumus esse modo.

## QUERELA CRUCIS QUONDAM IN JUBILAEO ERECTAE.

E2\_089 v.1 Usque adeo nihil est, si non sit et utile, magnum,  
 2 et pretium faciat commoditate sui.  
 3 Tunc ubi mille dedi Romano milia patri,  
 4 Teutonicas captans Italus ames aves.  
 5 In media stabam populo venerabilis aede,  
 6 meque frequens coluit supplice turba genu.  
 7 Haec ubi sublato bubone annona quievit,  
 8 et per me nullum restat, ut ante, lucrum,  
 9 ad foedam projecta vide sordesco cloacam,  
 10 me temnens calcat plebs venerata prius.

## AD ARNUM SACERDOTEEM ET MEDICUM.

E2\_090 v.1 Es medicus simul, et vespillo, feretraque vendis,  
 2 venalesque canis manibus, Arne, preces.  
 3 Quid mirum nullos quod adhuc curaveris aegros ?  
 4 Uno contentus non potes esse lucro.

## AD SIMPLICIUM.

E2\_091 v.1 Quo subfulta solo, dubitas, vestigia fixit,  
 2 suppositus mundum quando ferebat Atlas.  
 3 Quid dabis et dicam ? Sed non nisi dixeris ante,  
 4 quo portans eadem pondera Christophorus.

## DE ERPHORDIANIS.

E2\_092 v.1 Exprobrant fatuos tibi magna Erphordia cives,  
 2 tam sapiens alibi non puto vulgus erit.  
 3 Cui puta tam doctum sit ad omnia lauta palatum,  
 4 ut mures taceat Pontica terra suos.

## AD THELESPHORUM.

E2\_093 v.1 Optima quis vendat jam vina, Thelesphore, quaeris,  
 2 nescio, sed tenuem quis, scio, Zython habet.  
 3 Sordida post pontem mangonum turba petatur,  
 4 dispeream si non dixerit illa tibi.  
 5 Denigret arta licet multus gurgustia fumus,  
 6 hic tamen angusto sub lare lauta gula est.

## AD MAGNUM.

E2\_094 v.1 Extremo quoties me vespere, Magne, salutas,  
 2 corde bonum serum sit tibi semper ais.  
 3 Acre serum mallet, vel si quid vilius isto,  
 4 usque bonum serum conqueror esse mihi.  
 5 Dignius hac possum nil respondere salute,  
 6 quam quod praeproperum sit tibi, Magne, malum.

## IN AEGRUM.

E2\_095 v.1 Solus edit proprio Clemens ex vase bibitque,  
 2 quae sit causa rogas ? Os habet ille malum.  
 3 Securus tamen huic aeger conviva coibis,  
 4 occupat os morbus ter magis ille tuum.

## IN GRAMMATICAM MARULLI.

E2\_096 v.1 Paulisper remorans spectatum siste, viator,  
 2 quae nova delectent iste libellus habet.

3 Terrigenae subito nati modo semine Fratres,  
 4 instaurant forti mutua bella manu.  
 5 Sed nisi jam properes, periisse repente videbis.  
 6 Nullus ab hac, certum est, strage superstes erit.

IN AEMULUM.

E2\_097 v.1 Ut tua jam primum contra me crimina vidi,  
 2 unus qui placuit versus et alter erat.  
 3 Nescio quos illis dentes emergere sensi,  
 4 qui tamen inflicta mox cecidere manu.  
 5 Sanguinolenta nihil laxos gingiva tenebat,  
 6 nativus quoniam non fuit iste locus.

AD THELESINUM PALINODIA.

E2\_098 v.1 Qui magis offensis saevum velit anguibus hostem,  
 2 Infamique suos perdere lite suos.  
 3 Te, Thelesine, bonum dicat non esse poetam,  
 4 quaeque facis Phoebo carmina digna neget.  
 5 Et quae pessima sunt non optima iudicet, eheu,  
 6 in tua quod mendax non ego scripta sui.  
 7 Quod non ante fui, jam nunc ero, cuncta retracto,  
 8 quae tibi dedecori ducta fuisse putas.  
 9 Maximus es Rhetor, summusque Poeta, nec ullus  
 10 hactenus e sacro largius amne bibit.  
 11 Victus Virgilius, victus tibi cedit Homerus,  
 12 et quicumque isto numine plenus erat,  
 13 Magnus utraque vir es lingua, et celeberrimus auctor,  
 14 Teutonicae qualem non habuere scholae.  
 15 Non te doctior est ex tot mortalibus alter.  
 16 Omnia tu solus qualiacumque sapis.  
 17 Magna tibi a nobis facta est injuria, non es  
 18 quem te mentiti diximus esse virum.

AD THEODORUM.

E2\_099 v.1 Quod careas Theodore tuae cognomine gentis,  
 2 ut quod ab eventu dem tibi saepe rogas.  
 3 Forte quod egregium quiddam moliris, et illud  
 4 a sera speras posteritate legi.  
 5 Es caper, et crebri veniunt in podice ficus,  
 6 hinc mihi non alius quam Caprificus eris.

IN PHILODEMUM.

E2\_100 v.1 Id quod te laudat, summe Philodeme, poema  
 2 evehis, hoc multo non sine teste facis.  
 3 Creber erat lector, qui postquam haec carmina vidit,  
 4 "Magnus in hoc, ait, es Corde Poeta libro.

## AD LECTOREM.

E2\_101 v.1     Sunt alios inter tricae haec apinaeque Poetas,  
 2               quod vel me lector scire tacente potes.  
 3     Sed tibi si quanto, constaret, tempore scripsi,  
 4               et quae scribenti fata fuere mihi,  
 5     non dubito fuerint aliquo quin digna favore,  
 6               grataque iudicio qualiacumque tuo.  
 7     Plorantes inter pueros, extremaque dura,  
 8               bis tribus hebdomadis crevit uterque liber.

## EURICII CORDI EPIGRAMMATUM LIBER TERTIUS.

## AD IANUM.

E3\_001 v.1     Sic tua jucundo populus solemnia plausu  
 2               exigat, hinc illinc provide Jane Pater.  
 3     Dic mihi, quis veniat miseris jam vatibus annus,  
 4               num sit perpetuus, qui fuit ante, status ?  
 5     Quae tot habes gemina circumfer lumina fronte,  
 6               an sit in hac, musas qui colat urbe, vide.  
 7     An quis adhuc nostro Maecenas tempore vivat,  
 8               quique suas soli non sibi condat opes,  
 9     Qui velit aeternum meritis extendere nomen,  
 10              nec quondam totus post sua fata mori.

## IANUS.

E3\_002 v.1     Non meliora miser tibi nuntio tempora, Corde,  
 2               ni studium velles linquere forte tuum.  
 3     Non tot ego his oculis, nec cinctus pluribus Argus  
 4               cerneret, Aonium qui juvet asse chorum.  
 5     Invida barbaries vetat, et furiosa cupido,  
 6               non asinis cordi est cantor Apollo Midis.  
 7     Est tamen Angelicas habitans hic Sturtius aedes,  
 8               qui doctis bonus est, doctus et ipse, viris,  
 9     quem tibi propensum sensisti nuper amicum,  
 10              si velit Augustus posset hic esse tibi.  
 11     Hunc tua quam poterit, si non tuba, fistula cantet,  
 12              esuriit nondum cognitus ipse Maro.



## DE RUSTICORUM INFELICITATE.

E3\_003 v.1 O infelices nimium, mala si sua norint,  
 2 agricolae, venia nunc Maro dico tua.  
 3 Flebilius nihil est, isto, quam rusticus, aevo,  
 4 qui sua ceu servus non sibi rura colit.  
 5 Cum riguit totum miser et sudavit in annum,  
 6 milleque sollicito dura labore tulit.  
 7 Ex tot vix quantum rursum serat, accipit agris,  
 8 quod superest deses vendicat ara suum.

## AD HENRICUM ORTUM.

E3\_004 v.1 Pulsa diu toto Pietas erravit in orbe,  
 2 nec potuit certam tristis habere domum.  
 3 Ad Carthusiacos confugit fessa sodales,  
 4 hic quoque munitae non patuere fores.  
 5 Ut quae femineum soleant excludere sexum,  
 6 tantus apud sanctos religionis amor.  
 7 Quo tamen Invidia huc, quoque Ignorantia jure,  
 8 quoque Superstitio venit, et Ira, roges.  
 9 Et reliquae, Ambitio, Vindicta, Cupido, sorores,  
 10 quas etiam primas hic colit ordo deas.  
 11 Forsitan exhibito magnae diplomate Romae,  
 12 hoc ostendenti quod libet omne licet.

## DE VIGESIA.

E3\_005 v.1 Jam scio mentitur Vigesia, qui potes illud  
 2 scire absens ? Video, qui ? Quoniam loquitur.

## AD CASTRICUM PHILOSOPHUM.

E3\_006 v.1 Quis novus iste furor, visendae, Castrice, Romae,  
 2 quo tamen hic speras vivere posse modo ?  
 3 Nil tua te probitas, nil te sapientia tollet,  
 4 plena ubi cuncta dolis, plena ubi cuncta strophis.  
 5 Nil tetricus vultus, nil proderit hispida barba,  
 6 levis ubi tantum praemia pupus habet.  
 7 Nec video tantae quid opus tibi robore clavae,  
 8 muniat unius te modo virga pedis.  
 9 Sola, sed aere gravis, sumatur, consulo, pera,  
 10 hac erit adversum concomitante nihil.  
 11 Sed ter mille licet defessus milia portes,  
 12 cogaris laceris mox tamen ire togis.  
 13 Si tam cara tibi danistae pallia vendent,  
 14 quam redimunt nostri nunc ibi pontifices.

## IN MANIUM.

E3\_007 v.1 In mea te, Mani, saevire poemata dicunt,  
 2 et lecto tunicam diripuisse libro.

3 Non ego cantantem studeo te vincere Phoebum,  
 4 quis tamen hoc esset proposuisse furor ?  
 5 Det meritam, si quis certat tibi Marsya, poenam,  
 6 quae, miserum, laus est excoriare Babym ?

## DE PHILLIDE.

E3\_008 v.1 Nullus ubi, Mariae quem ferret, cereus esset  
 2 ad celebrem Februi, lucida festa, diem,  
 3 tres se prostituit noctes pia Phillis, et emit.  
 4 Quam timet ultores religiosa deos.

## IN QUEMDAM FRANCISCANUM.

E3\_009 v.1 Infecunda decem quaedam matrona per annos,  
 2 insterili fertur non peperisse toro.  
 3 Haec ubi forte novam est enixa puerpera prolem,  
 4 vis ea quod divum sit venerata tuum,  
 5 quem raucis adeo clamorosus vocibus effers,  
 6 ut minor huic Christi postmodo cedat honor.  
 7 Tanta quid extollis populo bone numina frater,  
 8 quae quivis, etiam tute, cucullus habet ?  
 9 Vis, hoc quem captas commento, radere quaestum ?  
 10 Huic alium, foetus qui vetet, adde Deum.

## CAELUM NUNC PHARMACOPOLION.

E3\_010 v.1 Paeonias nihil est quod discimus amplius artes,  
 2 magne vale Hippocrates, magne Galene vale.  
 3 Vos quoque nunc medici vestras auferte tabernas,  
 4 quasque tot expositus pyxidas ordo notat.  
 5 Fornaces, vitra, pastilli, mortaria, cessent,  
 6 iste nihil vobis proderit inde labor.  
 7 Facti materiae jam nunc et pharmaca divi,  
 8 cujusvis praesens sunt medicina mali.  
 9 Ac alias alii variis pro pestibus herbas,  
 10 praeterquam scillas, helleborosque valent.

## DE NEAERA.

E3\_011 v.1 Tam grave miraris nanam funale Neaeram  
 2 ferre, tulit gravius, ferret ut illud, onus.

## AD MONACHOS.

E3\_012 v.1 Tam quis aperta ferat falsae mendacia linguae,  
 2 quando leves quidam vos ait esse viros ?  
 3 Nullus sit timor, id nos umquam credere verum,  
 4 hac in vos nemo suspicione fuit.  
 5 De vestra variae passim gravitate querelae,  
 6 qui miseris tantum civibus estis onus.

## AD HENRICUM ORTUM.

E3\_013 v.1 Frigida cur maneant calefacto balnea furno,  
 2 et tamen elicitus sic mihi sudor eat.  
 3 Non aliam debes, neque possum ego, credere causam,  
 4 quam quod versiculos occinis, Orte, meos.

## IN STATUAM MARIAE CEREOLOS VENDENTIS.

E3\_014 v.1 Hoc mihi qui sacrum transis altare viator,  
 2 siste, measque dolens commiserare vices.  
 3 Illa ego quae caeli domina et regina salutor,  
 4 ac eadem summi sponsa parensque Dei.  
 5 In miseras abjecta, vide, mensaria sordes,  
 6 expositos cogor vendere cereolos.  
 7 Utque inhians turpi servire propola lucello,  
 8 vae mihi si natus resciet illa meus.  
 9 Ne nexis, timeo, me pellat ab aede flagellis,  
 10 quando videt sua quod facta taberna domus.

## IN EANDEM.

E3\_015 v.1 Qui tot adoratam, Lupe, me sestertia poscis,  
 2 nonne vides obolos vener ut ipsa tuos ?  
 3 Quid dabit exponens gracilem paupercula ceram ?  
 4 Illos, qui vendunt astra deumque, pete.

## MIRACULUM BONAVENTURAE.

E3\_016 v.1 Sex in conjugio transegit Testilis annos,  
 2 et peperit juveni pignora nulla viro.  
 3 Qui Franciscanis moriens grave fratribus aurum,  
 4 quod dedit, hac petiit corpus in aede tegi.  
 5 Hic dum maesta situ luget, gemit, expiat uxor,  
 6 qaepeque jam notam sola frequentat humum.  
 7 Et praesens Bonaventurae pia numen adorat,  
 8 in viduo tandem concipit illa toro.

## AD CHRISTIANUM SCHROTERUM.

E3\_017 v.1 Quid, carissime Christiane, Romae,  
 2 jam septem remorans agis per annos  
 3 orbae filius unicus parentis ?  
 4 Num dignam rear obtigisse sortem,  
 5 dum servum stabularius bidentem,  
 6 et foedum strigilemque furcilemque  
 7 exercens olidum colis fimetum,  
 8 et scabros miser expolis asellos ?  
 9 Aut, dum purpureum sequens galerum,  
 10 discissis caligisque calceisque,

11 sacrae pone legis cacata mulae ?  
 12 Aut dum mille gregi notariorum,  
 13 hoc est furibus additus cinaedis,  
 14 Romanensis et ipse nummisuga  
 15 istos sacrilegos juvas Simones,  
 16 qui vos ut rapidi lupi et leones  
 17 imas excoriant adusque carnes ?  
 18 Hoc tu cernere (proh fides) patique  
 19 Germanus potes, immo Christianus ?

## AD EUMDEM.

E3\_018 v.1 Miror quo tamen orbe commoreris,  
 2 quartam haec littera fert tibi salutem,  
 3 ac unumne apicem quidem recepi,  
 4 noster te Cato, quanta quanta Roma est  
 5 perquisivit, et inde ter reversus,  
 6 nullum repperit ille Christianum.

## IN LUPUM.

E3\_019 v.1 Canus et hirsutus, mordax, et avarus edaxque  
 2 quam tibi conveniens, mi Lupe, nomen habes,  
 3 sed tua te vulpem fraus, insidiosaque reddit  
 4 calliditas, foedum spurca libido caprum.  
 5 Immo sacrae fecte dum flens advolveris arae,  
 6 saevis insidiis trux Crocodilus hias,

## AD GEORGIUM STURTIUM.

E3\_020 v.1 Magna tua est, quis sit novus, exspectatio, Caesar,  
 2 et nullus, quem non quaeris id, hospes abit.  
 3 Quid Carthusiacos non post pomoeria Fratres,  
 4 (de tantis dicent singula rebus) adis ?  
 5 Qui poterint, qui clausae habitant gurgustia cellae  
 6 proque sua semper religione tacent,  
 7 et quorum jugis solum meditatio Christum,  
 8 altaque contempto cogitat astra solo ?  
 9 Nescio, sed quod non prima haec examina mussent,  
 10 tam video tacitum, tam procul esse nihil.  
 11 Non modo quod celebris jam Francofordia scivit,  
 12 sed totus, norunt, omne quod orbis agit.  
 13 Quot modo Saxonico conflagunt milia bello,  
 14 quaeque in eo mixtus symbola miles habet.  
 15 Quamque potens subitis vindex Franciscus in armis,  
 16 Suevas, imperii nomine, frangit opes,  
 17 et quotus Oceanum mercator remigat aequor,  
 18 Quid quaevis, et quo, navis, et unde vehit.  
 19 Quot Lupus uxores, quot habet Vigesia moechos,  
 20 laeta quid Anna canit, maesta quid Aula gemit.  
 21 Denique non poteris tam clauso pedere culo,  
 22 quin hic grex, nasus quam tuus, ante sciat.

## AD IOACHIMUM CAMERARIUM.

E3\_021 v.1 Unde tot oppletis mendici aegrique proseuchis,  
 2 non est admirans quod, Joachime, roges.  
 3 Si modo quam multis stata sunt jejunia divis,  
 4 videris, et festi quot sine fine dies.

## AD FRANCISCANOS.

E3\_022 v.1 Impraegnatoris vehitis magnalia divi,  
 2 qui tamen hoc castus vixit in orbe pater.  
 3 Ast alium sacra potientem virgine constat  
 4 quaque ter undecies rem potuisse die.  
 5 Ipsa nec exhaustit fecundos septima lumbos,  
 6 nilque fatigatum questus is inde latus.  
 7 Huic ea, vel vivo potius date numina fratri,  
 8 si celebri plenum vultis in aede tholum.

## AD LIBRUM.

E3\_023 v.1 Accepture pii venerabile nomen Erasmi,  
 2 castior a nequam siste, libelle, jocis.  
 3 Si non docta potes, saltem cave spurca loquaris,  
 4 vix tamen es tantum dignus habere virum.

## DE ERASMO RO.

E3\_024 v.1 Quando novas docto laudes conarer Erasmo,  
 2 ridens auriculam traxit Apollo mihi.  
 3 Et quid, ait, tentas ? Tua plectra miselle reconde,  
 4 Aoniam supra vir volat ille chelyn.  
 5 Nulla isti scintilla potest dare lumina soli,  
 6 omnia qui radiis lustrat opaca suis.  
 7 Arduus adjecta non mica surgit Olympus,  
 8 parvula tam pandum nec mare gutta juvat.  
 9 Hunc sua jam dudum vexit super aethera virtus,  
 10 livida seu nolit seu velit Invidia.

## IN QUEMDAM ERASMI AEMULUM.

E3\_025 v.1 Ad tua me si quando vocas convivium, sudo,  
 2 atque meae mallet quodlibet esse domi.  
 3 Non quasi lauta minus quod parcus fercula ponas,  
 4 tam lautus numquam Sardanapalus erat.  
 5 Sed quia de magno semper maledicis Erasmo,  
 6 in toto melius quo tamen orbe nihil.  
 7 Nunc est haereticus, nunc est hic impius auctor,  
 8 qui reproba sanctam destruat arte fidem.  
 9 Qui sacra divinae pervertat dogmata legis,  
 10 infami dignus turpiter igne mori.  
 11 Hoc ego dum reliquis ridentibus audio, rumpor,

12 et me vel surdum, vel procul esse velim.  
 13 Lentus in ore cibus nunc huc nunc volvitur illuc,  
 14 atque fit insipiens nobile vappa merum.  
 15 Vis gratam super ambrosias et nectara cenam  
 16 ponere ? De tanto dic bene, quaeso, viro.

## DE LUPO.

E3\_026 v.1 Pallida confectus quod sex Lupus ora diebus  
 2 obtulit, antiquam creditis esse febrem.  
 3 Non est, sed major miserum demacerat angor,  
 4 perdidit ingressus balnea tres obolos.

## AD FRANCISCANUM CONTIONATOREM.

E3\_027 v.1 Dicite dum vestrae flagrarent ignibus aedes,  
 2 et trepidas quivis ferret ubique preces,  
 3 quo Bonaventurae cessabat numen in orbe,  
 4 quove morabatur pignora dando toro ?  
 5 Non bene, quod tantis aliena negotia curis  
 6 adjuvat, et fratres negligit ille suos.  
 7 Tu tamen hunc inter medias vidisse favillas  
 8 narras, angelico pone volante choro.  
 9 Falleris, exierat vicinas flamma columbas,  
 10 decepit visum nox inimica tuum.

## AD FAMULAM SUAM.

E3\_028 v.1 Fractam exure colum, resolutum projice pensum,  
 2 hoc, video, nullum fert mihi nere lucrum.  
 3 Quaque duos hora sputas in fila trientes,  
 4 quae post vix vendit sexta quadrante dies.

## AD OPERCUM.

E3\_029 v.1 Quod stata Thomicolae celebrent tot festa sodales,  
 2 esse tibi mirum debet, Operce, nihil.  
 3 Illis ecce sui nascuntur in arbore divi  
 4 quot rapido numquam sub Cane pruna vides,  
 5 i nunc et ride vellentem numina Memphim,  
 6 et quod magna deum Terra sit ipsa parens.

## DE EISDEM DIVIS.

E3\_030 v.1 Quis plures una conspexit in arbore picas,  
 2 hac quisquis transis forte viator ais.  
 3 Quantus hic est error, parvas si rere volucres,  
 4 quos colit hic magnos credula turba deos.

## IN SOMNI ET EBRIETATIS ICONAS.

E3\_031 v.1 Tam bonus, haud mirum quod nos expressit Apelles,  
2 huic praesens, quando pinxit, uterque fuit.

## IN MORIAM ERASMI.

E3\_032 v.1 Ne falso imponat titulo liciture viator,  
2 vendens stultitiam Bibliopola, cave.  
3 Tam sapuit nullus Cato, nullus Laelius umquam,  
4 et peream, si plus ipsa Minerva sapit.

## AD CONUM DE EADEM.

E3\_033 v.1 Stultitiam volui, mittis mihi, Cone, Minervam,  
2 heus, pretium codex non habet iste suum.  
3 Vis quod adhuc pluris valet, istis assibus addam ?  
4 Nil tantum est, animam debeo, Cone, meam.

## IN EANDEM IMI. MAR.

E3\_034 v.1 Moria dicta fuit, quater octo leonibus emi,  
2 redde mihi nummos, bibliopola, sapit.

## AD LAURENTIUM CORVINUM.

E3\_035 v.1 Sacra placet Phoebos laurus, sacer ipseque Corvus,  
2 illius en nomen, nomen et hujus habes.  
3 Hinc tibi nemo negat facto, Corvine, Poetae  
4 hunc sua propensum numina ferre Deum.  
5 Gratus ut es vates, sic grata huic omnia pangis,  
6 sat, mea si mulsum fistula Pana juvat.

## DE EODEM.

E3\_036 v.1 Candidus hic nova dat populo spectacula Corvus  
2 hunc sibi habens sacrum sic dedit esse Deus.  
3 Audiit hunc dulci modulantem carmina voce,  
4 nuper ad Aonias quando volasset aquas :  
5 et cum Castalio prope conspexisset ab antro,  
6 in viridi nymphae fronde sedere suae,  
7 "Consonus es nostro, sis concolor, inquit, olori,  
8 ex illaque manens arbore nomen habe."

## EPITAPHIUM FABULLAE

E3\_037 v.1 Tres fuerant Furiae, sed ut infera regna subivit,  
2 auxit jam socium quarta Fabulla chorum.  
3 Quod si forsitan adhuc tres dixeris esse, necesse est,  
4 huic sua dum mansit vita, fuisse duas.

## IN IUCHUM

E3\_038 v.1 Nulla dies, magnum qua non traducis Erasmus,  
 2 mendaci lapides cum vehis ore tuos,  
 3 vectores olim divorum, scimus, asellos  
 4 rugitu caelum promeruisse suo.  
 5 Falleris hanc tibi si speras contingere sortem,  
 6 non fugit invictus talia monstra gigas.  
 7 Immo nec aethereas tentat rescindere sedes,  
 8 auspice, si nescis, hic movet arma deo,  
 9 quae quondam obsessum purgans Tirynthius orbem,  
 10 feta quibus multum perdidit hydra caput.  
 11 Quam cupis hos inter numerari Juche labores,  
 12 sed potes in tantis nil miser esse feris.  
 13 Taetra licet gliscens effundat aranea virus,  
 14 non tamen Herculeas inficit illa manus.

## AD JUSTUM.

E3\_039 v.1 Insani mecum certant duo, Sanctra Lupusque,  
 2 et doctoratus deposuere suos.  
 3 Deposui totidem, populans mea prandia, lentes.  
 4 Dic ultra tu pluris pignora, Juste, facis ?

## AD CARTHUSIANOS.

E3\_040 v.1 Tanta tuae si sobrietas Carthusia vitae est,  
 2 si tantum, te non abstinuisse, scelus,  
 3 qui fit ut hinc sero rediens sub vespere Naso  
 4 vix trahat instabiles ebrietate pedes ?  
 5 Si tuus haec edit populo miracula Christus,  
 6 tunc eadem noster numina Bacchus habet.

## AD ERASMUM ROTERODAMUM.

E3\_041 v.1 Docte, supervacui sunt, Roterodame, labores,  
 2 splendori Paulum restituisset suo.  
 3 Ante cucullati paulum novere Sophistae,  
 4 ut queat hic, quod eos juverit, esse nihil.

## AD MARTINUM LUTHERUM DE CAPRO.

E3\_042 v.1 Vix nova jam Christi florescere vinea coepit,  
 2 lataque diffuso palmite vitis erat.  
 3 Et prope conciderant rodentes germina bruchi.  
 4 Quisquis et ips tantas hactenus edit opes.  
 5 Cum de, nescio quo grege, cujus nescio caulae,  
 6 improbus insultat frondea culta Caper.  
 7 Pestiferoque salax consauciat omnia dente,  
 8 et necat afflatu proxima quaeque suo.



9 Sedule jam properans tua pastina vinitor effer,  
 10 quoque potes dirum robore perde pecus.  
 11 In duram cornuta licet se bestia frontem  
 12 tollat, et elato te pede forte petat.  
 13 Se tamen en nulla mancam suffragine fulcit,  
 14 qua se sustineat, conspice, parte caret.  
 15 Forsitan adjutos aliis admoverit ictus,  
 16 firma tibi, post quam te tueare, petra est.

## DE ROMANIS BULLIS.

E3\_043 v.1 Quod tua, Romulide, bullas diplomata dicit,  
 2 insipiens adeo non mihi vulgus erit.  
 3 Nam videt ut verae sint et sine pondere bullae,  
 4 ni grave quod plumbum pictaque cera premit.  
 5 Nos tamen haec multo, quasi magna, rependimus auro,  
 6 tam stupidus quondam non puto Glaucus erat.  
 7 Utpote mutatis aliquid qui ceperit armis,  
 8 haec praeter nugas nil glabra pellis habet.

## DE LUPO.

E3\_044 v.1 Aspicias extremos Lupus ut foedarit amictus,  
 2 hesterna madidum nocte fuisse putes.  
 3 Nil minus, arenti dormitum se abdidit ore,  
 4 unum ubi pro zytho non dare vult obolum.  
 5 Fecit id in celebri portans sacra fercula pompa ;  
 6 et si lignipedes induit ille suos,  
 7 fixum forte luto dum se dimisit ad assem,  
 8 nec fluidos potuit complicuisse sinus.

## IN QUEMDAM THEOLOGISTAM.

E3\_045 v.1 Injicienda rogo frendens zizania clamas,  
 2 quodcumque emisit Roterodamus opus.  
 3 Et tibi cum solo tanta esse negotia Christo,  
 4 ut nihil has nugas evoluisse vacet.  
 5 Exiguo mendax tua lingua errore vacillat,  
 6 nam "Chryson" debens dicere "Christon" ais.

## AD SODALES DE IUCHO.

E3\_046 v.1 Audite vos mei Sodales optimi  
 2 Hesse, Orte, Adame, et tu Draco,  
 3 tuque utriusque non leve hic linguae decus  
 4 Joachime nobilis puer.  
 5 Audite quaeso quid novi vobis feram,  
 6 jucunda res mehercule est.  
 7 Jugique risu digna per novem dies,  
 8 quae vos juvabit admodum.  
 9 Juchum probe novistis illum barbarum,  
 10 scatentem ineptiis virum.

11 Fortissimis quinquertionem viribus,  
 12 Sophistico in certamine.  
 13 Qui tot Bricotos et tot Occamos simul,  
 14 omnesque summularios,  
 15 tot Gabrieles, et tot Alvaros tegit,  
 16 violaceo hoc sub pileo.  
 17 Hem, quid loquor ? Juchum volebam dicere  
 18 probum, frugi, pium patrem.  
 19 Castum sacerdotem, suis qui moribus  
 20 sacroque Christi dogmate  
 21 sibi subditam praeiens regit plebeculam,  
 22 bonus suum pastor gregem.  
 23 Hic cum diurni post labores taedii,  
 24 gravesque sollicitudines,  
 25 tristem semel vellet Catonem ponere,  
 26 pulsisque curis vivere,  
 27 theologicas heri apparans cuppedias,  
 28 bellum vocavit scortulum.  
 29 Mediis ubi miser beatus lusibus  
 30 plenum putaret gaudium.  
 31 En efferox rivalis hujus quispiam  
 32 fractis subirruit seris,  
 33 sacrisque corripens comis sanctum virum,  
 34 extra suas raptat fores,  
 35 per nuda nudum saxa, per foedum lutum,  
 36 planaue sica dedolat  
 37 flentem, precantem, supplicii pronum manu,  
 38 suo timentem coleo.  
 39 Sic omnibus tuis, Erasme, osoribus,  
 40 ut semper eveniat precor.

IN ENCOMIUM SOMNI.

E3\_047 v.1 Oblatum caveas hunc ceperis, Arge, libellum,  
 2 si vaccae custos vis vigil esse tuae.  
 3 Tam bona laudati sunt hic Encomia Somni,  
 4 ut dormituriat qui semel ista legit.

AD VEGETIUM DE EODEM.

E3\_048 v.1 Non veterem posthac, Vegeti, miraberis Iphin,  
 2 quod sit in indutum versa puella marem.  
 3 En enata modo est hoc Nocti mentula saeclo,  
 4 non minus hoc monstrum, quam fuit illud, erit.  
 5 Ante gravis Furias Acherontis pepperit uxor,  
 6 nunc placidum, Lethes vir, tulit illa deum.

AD CALVUM.

E3\_049 v.1 Quid tibi vis nequam cupiens invisere Romam,  
 2 quid tamen est animos quo trahit illa tuos,  
 3 pessima stagnanti scelerum Camarina palude ?  
 4 Unde gravis toto surgit in orbe lues.

5 Quam cuperem clausas non caesis rupibus Alpes,  
 6 et nullas istac, Calve, fuisse vias.  
 7 Non corrupta malos generet Germania mores,  
 8 sed foret antiquum cum pietate decus.

## DE CARTHUSIANIS.

E3\_050 v.1 Mira tui vis est, video, Carthusia vini,  
 2 quam quod ei dedit, et qua ratione solum ?  
 3 Ex tot ut hospitibus toto quos excipis anno,  
 4 ebriet hoc orbos non nisi prole senes.

## DE LUPO.

E3\_051 v.1 Quando tribus novies Lupus arrexisset in horis,  
 2 et decimum lassus non bene posset opus.  
 3 "Nunc, ait, heu canos nonagenarius annos  
 4 sentio, me miserum terque quaterque senem."

## AD VALENTINUM SIFRIDUM.

E3\_052 v.1 Ter pejora licet, quam sunt haec munera mittas,  
 2 tu carus tamen, ut semper, amicus eris.  
 3 Quam verum huic titulum libro suus indidit auctor,  
 4 ipsa est, qua Bibulus nauseet, Ebrietas.  
 5 Dum lego, quod quoque te nuper fecisse putarim,  
 6 quam vel jejuno, conspice, ventre vomam.  
 7 Quare tot comites opus est et mittere pelves,  
 8 quot tu lectores illius esse voles.

## AD AMICUM QUEMDAM.

E3\_053 v.1 Juro tibi testis communia numina Phoebi,  
 2 candida quod nullus pectora livor edit.  
 3 In tua sic jussit me libera musa jocari,  
 4 hoc quoque tu simplex in mea lude modo.  
 5 Est petulans mihi, quem nequeo cohibere cachinnum,  
 6 nil moveat stomachum, splen, precor, iste tuum.

## IN QUEMDAM SOPHISTAM.

E3\_054 v.1 Quodcumque emissum est auctore volumen Erasmo,  
 2 aspectum clamas protinus esse nihil.  
 3 Hoc nihilo iste deo super, hei quot, milia Christo,  
 4 a grege dispersas jam lucrifecit oves.  
 5 Atque catenatas, alter velut Ogmios, aures,  
 6 in vera post se religione trahit.  
 7 Immo sui plenam movit stupor undique terram,  
 8 ipsaque contingens maximus astra ferit.  
 9 Quando tuum hoc aliquid pertaesi hominesque deique,  
 10 Tartareo mersum sub Phlegethonte velint.

## DE DONATIONE CONSTANTINI.

E3\_055 v.1 Quam tua, Constantine, valet donatio Caesar,  
 2 qui modo sit sano pectore quisque videt.  
 3 Quando graves testes Paleam bullamque tot annos,  
 4 longaevam constat conciliasse fidem.

## INDULGENTIARUM QUERELA.

E3\_056 v.1 Heu nos heu miseras, sapiens Germania postquam  
 2 perspecta tandem sobria fraude videt.  
 3 Heu fuimus, certa paulatim morte perimus,  
 4 nullus ab hoc nostri tempore restat honor.  
 5 Esset in his utinam quis adhuc Tecellius annis,  
 6 aptior ad nostram non foret alter opem.  
 7 Magna tamen spes est valido bonus Eccius ore,  
 8 si cadet haec, plumbum, pictaque cera, vale.

## AD DIVUM PETRUM PRO QUODAM ABBATE.

E3\_057 v.1 Si tibi paulisper clauso sunt otia caelo,  
 2 committens alii limina, Petre, veni.  
 3 En tibi qui sacrae tam frugi praefuit aedi,  
 4 uno cunctorum stat reus ore pater.  
 5 Atque suae jussus rationem reddere vitae,  
 6 te facilem trepido pectore poscit opem.  
 7 Non sine conficto tam sanctum crimine vinci.  
 8 Sed famulum praesens, Dive, tuere tuum.  
 9 Uno qui potuit tot milia perdere ventre ?  
 10 Num quod convivam foverit ille Lupum ?

## AD GEORGIUM STURTIUM.

E3\_058 v.1 Prodigam quam sit opum, quam vecors Teutona tellus,  
 2 et quam perverse religiosa vide.  
 3 Non Romanenses satis est implere truones,  
 4 rasorumque patrum mille fovere greges.  
 5 Quin et mendici divorum nomine porci,  
 6 tam brutae pecudes, nos pia dona rogant.

## AD IONAM.

E3\_059 v.1 Aut ego dura silex, aut sim marpesia cautes,  
 2 si, pie, te, Jona, non vehementer amem.  
 3 Qui miserum, tam laeta ferens huic gaudia, Cordum,  
 4 caelicolam toties efficis esse deum.  
 5 Quid non immortale putem me sumere Nectar,  
 6 a tanto quoties numine missa salus ?  
 7 Me quicumque manet meditetur tollere morbus,  
 8 et properet vacuae sistere fila colus.

9 Nil aget, aeternus jubet ut sim salvus Erasmus,  
10 et valeam, nescit, quem vetat, ille mori.

## AD ERASMUM ROT.

E3\_060 v.1 Indignante feras timeo ne pectore, quod te  
2 inserui nugis, Roterodame, meis.  
3 Neve aliquis dicat, qui vidit talia, lector  
4 quid facis in foedo candida gemma luto ?  
5 Oh, sine te caecis lumen praebere tenebris,  
6 haec mea, ni praesens sis nitor, umbra perit.

## AD ATTALUM.

E3\_061 v.1 Scribentis rabiem quereris dentesque Lutheri,  
2 et nimis in summos libera verba patres.  
3 Dum resupinus agit securus Pastor in umbra,  
4 delicias sectans mollis inersque suas.  
5 Intereaque ruens non est qui curet ovile,  
6 et miserum populat furque latroque gregem.  
7 Vis placidum, video, blande obgannire Molossum,  
8 vae qui tanta videt ferreque damna potest.  
9 Ut taceant homines, aliquando saxa loquentur,  
10 amplius haec nequeunt Attale monstra tegi.

## AD EOBANUM HESSUM DE LEO.

E3\_062 v.1 Quid rabido frustra juvat indulgere furori,  
2 quid crepat occiso Classicus hoste sonus ?  
3 Irrita tentamus vanis jam proelia larvis,  
4 nulla diu sentit mortuus arma Leus.  
5 Hunc vivumne putas, in quem sua spicula fixit,  
6 ille Jovis nato fortior Hercle Gigas ?  
7 Sed quis in hanc, etiam exanimem, non saeviat Hydram,  
8 quis queat ultrices abstinuisse manus ?  
9 Ergo age nulla ferox tangat miseratio pectus,  
10 mactemus diram post sua fata feram.  
11 Inque minuta jacens laniemus frusta cadaver,  
12 viperae donec pars quota carnis erit.  
13 Sic decet, et fas est, sic furcifer ille meretur,  
14 dignaque ter centum bestia ferre neces.

## IN LEUM.

E3\_063 v.1 Haec quae pompa, quod hoc Ranae miserabile murmur ?  
2 Efferimus carum, conquerimurque Leum.  
3 Quis Leus iste ? Rogas ? Nostri decus agminis olim,  
4 quem dedit ex Anglo magna rubeta mari.  
5 Quo cecidit fato ? Crepuit gliscente veneno ?  
6 Non, Lucam voluit ventre referre bovem.

## ALIUD IN EUMDEM.

E3\_064 v.1 Quantumcumque potes rugi, Lee, ringere, saevi,  
 2 vel qualis, Libyae quem tulit ora, Leo.  
 3 Non tamen evelles mihi carum vivus Erasmus,  
 4 mille licet tales scripseris inde libros.  
 5 Altior ille piis infixus cordibus haeret,  
 6 unguiculi possint quam penetrare tui.

## DE IONA.

E3\_065 v.1 Ut mixtum rabulis, et causas dicere Jonam  
 2 vidit, et indignans degenerasse deus.  
 3 "Hoc, ait, hoc pectus mihi finxi, haec ora polivi,  
 4 huic ego distribui quinque talenta viro.  
 5 Haec electa suas mihi debent organa dotes,  
 6 haec canet in populo buccina deinde meo."  
 7 Illustranda per hunc verbi volo gloria crescat,  
 8 insanum domino non tua redde forum.

## AD EOANUM HESSUM.

E3\_066 v.1 Mene putas umquam Pastorem credere Christum,  
 2 ad sua custodem saepta ligasse Lupum ?  
 3 Quam multas hic oves, quam multas occupat agnas,  
 4 quot, qui lascivi prosiliere, capros.  
 5 Sic tamen in placidos coepit mansuescere mores,  
 6 ut subigat tantum, non ferus ille necet.

## IN LEUM.

E3\_067 v.1 Marmaricum voluit lepus aequiparare leonem,  
 2 deficiens mansit mixtus utroque Leus.  
 3 Sileo, rugiret, vagiret, si lepus esset,  
 4 nunc neutra hirritum vox magis illa sonat.  
 5 Non igitur mirum quod eum tot protinus hostes,  
 6 ut rabidum clament exagitentque canem.

## IN QUEMDAM THEOLOGISTAM.

E3\_068 v.1 Auctores scelerum clamas nequamque Poetas,  
 2 et cane vitandos pejus et angue, mones.  
 3 Ipsum tu scelus, et bipedum nequissimus idem,  
 4 ex quo tam mala, dic, sit tibi vita Petro ?  
 5 Ex quo nam Paulo, dic ex quo denique Christo ?  
 6 Quos legis, et solos dicis habere libros.  
 7 Castalis unda nihil, nihil Aoniaeque sorores,  
 8 depravant animum scorta merumque tuum.

## IN MISSARIUM SACERDOTEI.

E3\_069 v.1      Aspicias ut tristi querulus tibi rusticus ore  
                   2           lacrimet, et trepido supplicet usque genu.  
                   3           Et sua differri petat unum debita mensem,  
                   4           dum terat invectas proxima messis opes ?  
                   5           Tu vehemens tamen exactor nil segnius urges,  
                   6           perque tot exclusum cogis ab aede dies.  
                   7           Nec numerata movent te pignora, nuda nec uxor,  
                   8           quae sedet et vacuos esurit ante focos.  
                   9           Vos Epicureo dum pingues e grege porcos,  
 10           in plenis simplex turba saginat haris.  
 11           Hunc debere pios, respondes forsitan in usus,  
 12           ut solitum fiat manibus inde sacrum.  
 13           Atque auctore negas te posse remittere Christo,  
 14           quae veniunt domino persoluenda deo.  
 15           I omnes potius confla simulacra per aras,  
 16           utque juves fratres, dirue templa, tuos.  
 17           Has Deus exsequias, haec de te justa requirit,  
 18           nullas defunctos crede beare preces.

## AD IONAM.

E3\_070 v.1      Quid video ? Jonam Jonas legit, et suus idem  
                   2           ipsius interpres, se ipse Propheta docet ?  
                   3           Sed facile hoc faciet qui semet noverit ipsum,  
                   4           admonitus titulo, Delphice Phoebe, tuo.

## OENOMAUS AD BULLARUM REDEMPTORES.

E3\_071 v.1      Consulo non fragili sapientes fidite cerae,  
                   2           non ad speratum vos vehet illa locum.  
                   3           Id quondam experto si non mihi creditis, unde  
                   4           Icariis venit, quaerite, nomen aquis.

## IN LEUM.

E3\_072 v.1      Magnus ut Alcides Lernaeam contudit Hydram,  
                   2           repsit ab immundis deprope cancer aquis.  
                   3           Egregiosque parans interpellare labores,  
                   4           strinxit in apprensum, sed pede, tela deum.  
                   5           His tamen aetherae meritis hic additus arci,  
                   6           in medio clarum vertice sidus habet.  
                   7           Quod Leus expendens, erit hoc imitabile dixit,  
                   8           Non aliam vidit, qua petat astra, viam.

## IN EUMDEM.

E3\_073 v.1      Quod, cum Stymphalis sic ferris in alta volucris,  
                   2           exurgensque studes obtenebrare jubar,  
                   3           decidis Herculeo trajectus pectora telo,  
                   4           omnis Io Paeon musica turba sonat.

5 Et concurrat humi fusum visura cadaver,  
6 atque stupens unguis devovet ille tuos.

## IN EUMDEM.

E3\_074 v.1 Non alio poterat orbi innotescere pacto,  
2 quam tibi quod magnus laesus Erasmus erat.  
3 Perpetuos vives, sed qualis Zoilus, annos,  
4 Lethaeo satius supprimerere lacu.

## DE EODEM.

E3\_075 v.1 Quod magnum vocitem, Leus indignatur, Erasmus,  
2 quodque sit hic humili corpore forte refert.  
3 Ardua sublimi qui sidera vertice pulsat,  
4 totque Giganteo monstra labore domat.  
5 Lapsa cui innitens Pietas nunc undique surgit,  
6 quo sacra supposito sistit Atlante fides.  
7 Denique quem nullus poterit contingere Livor,  
8 hunc ego non magnum dixero jure virum ?

## AD SABELLUM.

E3\_076 v.1 Audi quae fuerant hesternae somnia nectis,  
2 et reputans num sint vana, Sabelle, vide.  
3 Visus es Hessiaco juvenis servire Poetae,  
4 ille novus forsan Gymnasiarcha fuit.  
5 Nescio quae tacito praetendens taedia vultu,  
6 hac plus nolebas condicione premi.  
7 Effugis, et timido portatur sarcina dorso,  
8 pone sequens alto clamitat ille sono.  
9 Quo malefide ruis ? Sic me sic pessime fallis ?  
10 Hancine commerui credulus ipse fidem ?  
11 Cur istos tecum libros ? Non hic tibi pannus  
12 pertinet, induvias fur mihi redde meas.  
13 Haec mihi non per ebur, sed cornu visa putabis,  
14 arboreae quando non cecidere comae.

## AD LINUM ET ARRIUM.

E3\_077 v.1 Tu, Line, vis monachi, tu vis cacodaemonis Arri  
2 inventum, cita quae machina saxa jacit.  
3 Nil ita diversi verum puto dicitis ambo,  
4 impius est idem cum Satana monachus.

## IN LEUM.

E3\_078 v.1 Vis, Lee, vis dicam, quam te sit major Erasmus,  
2 et tibi si magnus tu videare Gigas ?  
3 Ac ipsum Enceladus tentes rescindere caelum,  
4 imo suppositus ferre puteris Atlas.



5 Quot quot sunt usquam terrarum congere montes,  
 6 nil dubito vires id quoque posse tuas,  
 7 accumula Rhodopen, Parnassum, Pelion, Ossam,  
 8 Pyrenen, Erycem, Caucason, Haemon, Athon.  
 9 Et toties trifido Jovis icta Ceraunia telo,  
 10 quique stat immensae maximus Alpīs apex.  
 11 His super extremos stans exporrectus in unguēs,  
 12 quantum sidereus fert Draco tolle caput.  
 13 Nulla tamen spes est imos contingere talos,  
 14 sat tibi si tanti sit vola prensa viri.

## IN EUMDEM.

E3\_079 v.1 Quod miser a multo, Lee, sic proscinderis hoste,  
 2 et velut Aetolus sollicitaris aper.  
 3 Non nostra est levitas, nec edens praecordia livor,  
 4 nec malus Eumenidum concitus angue furor.  
 5 Sed communis amor, qui publica commoda spectat,  
 6 et quaecumque videt surgere damna cavet.  
 7 Quo si sic agitur reprimens incendia vulgus,  
 8 insectansque ferum rustica turba lupum.  
 9 Cur tibi parcamus, cur non tibi, pessime serpens,  
 10 frangimus invisum conterimusque caput ?  
 11 Qui totum jam tabe tua sic inficis orbem,  
 12 pestiferoque pios sibilus ore necas.

## DE MELA.

E3\_080 v.1 Nuper adorta Melam letali tubere pestis,  
 2 cunctantes jussit fila secare deas.  
 3 Sed medica properans cum pyxide Cynthius inquit :  
 4 "In comites possunt nil fera fata meos."

## IN LUPINAM.

E3\_081 v.1 Quaque ter hebdomada castas accedit ad aras,  
 2 et capit angelicum prima Lupina cibum,  
 3 quo nihil indignans exemplo offendere conjux,  
 4 hic illi merito justus habetur honor.  
 5 Ut quae quin decimo mystae consuevit ab anno,  
 6 inque sacras aequum jus sibi poscit opes.  
 7 Hanc si quando tuam, quare cave, resciet iram,  
 8 caelestes stabis flebilis ante fores.  
 9 Quandoquidem dominas cum gestet ad omnia claves,  
 10 illius quoque vult accipietque serae.

## AD GEORGIUM FORCHEMIUM.

E3\_082 v.1 Docte vir, et verae fervens pietatis amator,  
 2 cui data Christicolae caula tuenda gregis.  
 3 Quid te vesani vecors dementia vulgi  
 4 afficit, haereticum quod vocat illa virum ?

5 Dum sincera doces divini dogmata verbi,  
 6 quoque decet nostrum corripis ore nefas.  
 7 Scis quod sortita est vitiorum nomina virtus,  
 8 et grave jam probitas integritasque scelus.  
 9 Non ideo acceptum sub terram conde talentum,  
 10 fac referat lucrum, qui dedit, inde suum.

AD MARTINUM LUTHERUM.

E3\_083 v.1 Care mihi in Christo Jesu super omnia frater,  
 2 immo verende magis religione Pater.  
 3 Quam gemo, quam doleo, tua quam discrimina plango,  
 4 et quas mille subis pro pietate vices.  
 5 Heu, quotus e caecis serpens prosibilat antris,  
 6 tristeque vibranti virus ab ore vomit,  
 7 quanta tibi diram meditatur factio mortem,  
 8 quam multus passim te crocodilus hiat.  
 9 Et potes hos caelo fidens contemnere rictus ?  
 10 Virtutis specimen grande profecto tuae,  
 11 o vere fortis super omnem miles Achillem.  
 12 Firmet in haec auspex te modo bella Deus.  
 13 In te jacta sator non perdit semina Christus,  
 14 quanto luxurians fenore surgit ager.  
 15 Lividus hanc segetem Zizania judicat error ?  
 16 Hei mihi quam demens regnat ubique furor.

ITHYPHALLUS.

E3\_084 v.1 Heus, tu praeteriens viator heus tu,  
 2 nosti versificem, cedo, ne Cordum.  
 3 Tristem grammaticae scholae magistram,  
 4 qua turrita foro minatur aedes,  
 5 et grandi tremefacta mugit aere,  
 6 hic illum sibi nuper emit hortum,  
 7 et jussit sua poma me tueri,  
 8 quo nil munere durius subivi.  
 9 Tot furtum faciunt mihi puellae,  
 10 queis nulli mea tela sunt timori.  
 11 Quantumvis miner, et luant prehensae,  
 12 imo plus veniunt ob hasce poenas,  
 13 quam quod surripiant, age ergo vade,  
 14 ipsi dic domino meo poetae,  
 15 si quid vult reliquum quod inde carpat,  
 16 ut castret faciatque me spadonem,  
 17 et tutam misero ferat quietem,  
 18 aut tanti socium Lupum laboris,  
 19 quamvis rancidulum senecionem,  
 20 alternis mihi subroget diebus.

IN IOANNEM ECCIUM.

E3\_085 v.1 Quod, quoties aliquam novus intras hospes in urbe,  
 2 monstreris digito, turbaque clamet, hic est,

3 non ita fastosas tam turgidus erige cristas,  
 4 nec tibi, tamquam hoc sis dignus honore, place.  
 5 De te tanta fere toto est jam fabula mundo.  
 6 Ut vultus cupiant saxa videre tuos.

IN AURELIUM.

E3\_086 v.1 Carus mihi quondam sodalis Aureli  
 2 eras, cui meum omne consilium ac pectus  
 3 concredidi, studiumque et officium impendi.  
 4 Quod integer bonusque tum videreris.  
 5 Sed cum tui tandem mihi liquent mores,  
 6 quod omnibus doctis, probis, piis, sanctis,  
 7 qui pristinam cum literis Fidem instaurant,  
 8 infensus hostis invides et obtrectas,  
 9 longum tibi jam dissidens Vale dico.  
 10 Frustra ergo missis inde muneribus captas,  
 11 jam desitum nec ut prius frequens Salve.  
 12 Veri una servatrix amoris est virtus.

IN EFFIGIEM MARIAE, CEREOLOS VENDENTIS.

E3\_087 v.1 Si te diva parens factam juvat esse propolam,  
 2 nec pudet indignis invigilare lucris.  
 3 Hanc potes utilius Romae divendere ceram,  
 4 uncia qua multis milibus una licet.

ALIUD IN EANDEM.

E3\_088 v.1 Non pia turba tuos credas me poscere nummos,  
 2 hanc siquidem ceram non tibi vendo meam.  
 3 Has miseram in sordes me perditus ordo redegit,  
 4 conspicui ficta religione patres.  
 5 Quorum tanta fames auri, tam saeva potestas,  
 6 ut servum subigant in sua lucra deum.

DE IOANNE ECCIO.

E3\_089 v.1 Visus in hac levibus bullis gravis Eccius urbe,  
 2 fertur apud calvos delituisse patres.  
 3 Qui tamen intuiti monstrum agnovistis amici,  
 4 nulla cui frons est, nulla cui facies ?  
 5 Hunc ego nec faciem, nec habere putavero frontem,  
 6 quem non tantorum totque pudet scelerum.

DE LUPO.

E3\_090 v.1 Vult canus famulum Lupus ministrum,  
 2 istam quisquis obire servitatem,  
 3 sic cogente, cupis, necessitate.  
 4 Mox, ne praeveniariis, advolato.

5 Quaeris quae tua sit futura merces ?  
 6 Antiqui duo calcei dabuntur,  
 7 et par lignipedum, sed id quod ante  
 8 attrivit medias ad usque calces,  
 9 etsi te modo gesseris fidelem,  
 10 donabit laceram tibi tiaram,  
 11 in qua dormiit octo jam per annos.  
 12 Contentus quoque simplici amne vives,  
 13 incisoria, crusta, miculasque.  
 14 Et quas de tribus offulas selibris,  
 15 post quartum putridas diem reliquit,  
 16 cenae lautitias tuae putabis.  
 17 Tanta, perfide, liberalitate  
 18 insignem sapiens herum recusas ?

AD IOANNEM DRACONEM.

E3\_091 v.1 Haec tibi poma meo pauper de rure Priapus,  
 2 has tibi servavit, dulcis amice, nuces.  
 3 Nil mihi lascivae reliquum liquere puellae,  
 4 quae nimis huc audax insiliere cohors.  
 5 Non resupina tamen tulit hoc ignavia damnum,  
 6 custodis nocuit strenua virga dei.

IN LAUTE PRANDENTES PHILOSOPHOS.

E3\_092 v.1 Sardanapaliaco dum vos convivia luxu  
 2 ducitis, et tantas hora ligurit opes.  
 3 Sorbibile cum tenera mihi crambe ponitur ovum,  
 4 ultra sophos potius dicite mensa decet ?

IN EOSDEM.

E3\_093 v.1 Nunc agite, o sancti potate, vorate, Catones,  
 2 tendite nunc avidam quo juvat usque gulam.  
 3 Triste supercilium, crispamque remittite frontem,  
 4 libera jucundis ducite verba jocis.  
 5 Fictae tota procul virtutis hypocrisis absit,  
 6 nullus, qui possit carpere, Cordus adest.

AD ADAMUM CRATONEM.

E3\_094 v.1 Ad sua contemptum non plus convivia Cordum,  
 2 invitant tetrici, livida turba, sophi.  
 3 Contrectata meis temerem ne pocula labris,  
 4 qui feror incestos evomuisse jocos.  
 5 Interea multus tamen hic conviva recumbit,  
 6 quem dedit huc civem foeda Gomorra suum.  
 7 En mala qui patrant scelerosi crimina, prandent,  
 8 qui nequit haec aequo pectore ferre, famet.

## DE LUPO.

E3\_095 v.1 Effuge festino cursu, miser effuge Corde.  
 2 Nonne vides quam te magna pericla manent ?  
 3 Ille tibi plus quam Lupus infestissimus hostis,  
 4 advenit a pransis ebrius ecce sophis.  
 5 Hei mihi, quam torvo scintillant lumina vultu,  
 6 vae si me media prenderit ille via.  
 7 Omnes excutiet, nisi me subtraxero, dentes.  
 8 Quo fugiam ? Pugnos librat utrimque suos.  
 9 Sed bene, ad offensum lidens vestigia saxum  
 10 corruit, et foedo mergitur ille luto.  
 11 Quid tanto rides circumflua turba cachinno ?  
 12 Quin adjutricem, quam petit, adfer opem.  
 13 Sed video tua quod sit, eum periisse, voluntas,  
 14 qui malus ipse cupit quemque perire bonum.

## AD EOBANUM HESSUM.

E3\_096 v.1 Hoc te nescio quae dare vespere mattya dicis,  
 2 cum cupis ad cenam me properare tuam.  
 3 Nullis lautitiis opus est, nulloque paratu,  
 4 tantum scribe recens esse poema tibi.  
 5 Et volucris subito veniam perniciosior Euro,  
 6 ambrosius cibus hoc, nectareusque latex.

## AD ANCUM.

E3\_097 v.1 Octo pollicitum petii te quattuor ursos,  
 2 plena quibus fosso conditur olla solo.  
 3 At tibi nunc juras non quattuor esse leones,  
 4 quod malus inventas fur popularit opes.  
 5 Hanc propter pejus nihil imprecor, Ance, repulsam,  
 6 haec quam quod salva verba loquare fide.

## AD SE IPSUM.

E3\_098 v.1 Blandiri nescis, nec verum, Corde, tacere,  
 2 et mirare tuos displicuisse libros ?

## AD CAESAREM.

E3\_099 v.1 Hunc tu contemptim divum colis, impie Caesar,  
 2 ac inter superos ambigis esse deos ?  
 3 Qui tamen ut merito quotus insereretur Olympo,  
 4 ter dedit Ausonio mille talenta Patri.

## AD FOENILIAM.

E3\_100 v.1 Te cruciare tuos quereris Foenilia dentes,  
 2 et medicam jugi me prece poscis opem.

3 Vis semel hunc, ut non redeat, cessare dolorem ?  
4 Postremos fac adhuc extrahat Udo duos.

### EURICII CORDI EPIGRAMMATUM LIBER QUARTUS.

#### AD GEORGIUM STURTIUM.

E4\_001 v.1 Regie Maecenas, et dive Auguste, valete,  
2 fert similem vestri Sturtius instar opem.  
3 Qui grave pro levibus reddit mihi versibus aurum,  
4 mittit et Eoi lucida dona maris.  
5 Non tantum, per avara quidem ne somnia, munus,  
6 vix erat in votis curta selibra meis.  
7 Jam nihil Aonii pertaesum paenitet oti,  
8 haec dare si tandem grata Thalia potest.

#### AD EOBANUM HESSUM.

E4\_002 v.1 Quid tua Lethaeo torpescit Musa veterno,  
2 mutaque cessanti pollice plectra silent ?  
3 An novus hac quod sit, nescis, Augustus in urbe,  
4 qui placido Clarium respicit ore chorum.  
5 Sic mihi in aeternum dicendus Sturtius aevum,  
6 pro parvo magnas carmine qui dat opes.  
7 Si tantum mihi dat, qui vix sum Choerilus, aurum,  
8 quae tibi non speres munera docte Maro ?

#### IN IUCHUM.

E4\_003 v.1 Frugi, bonus, castus, probus, pius, sanctus  
2 meo vocatus est Iuchus in versu.  
3 Quod ut videt, tumultuatur, insanit,  
4 quare rogas ? Injuriam nequit ferre.  
5 Ut ergo placetur, vocabo eum nequam,  
6 malum, improbum, incestum, impium atque pollutum.

#### AD URUM.

E4\_004 v.1 Ipse suas jam carpatinas attrivit Ovillus,  
2 dum videt an soleas feceris, Ure, meas.  
3 Sat si tot poterint salvae durare diebus,

4 quot jam dudum ipsas consuis hebdomadis.

DE LUPO.

E4\_005 v.1 Sex Lupus assiduo Gabrielem legit in annos,  
 2 extendens vires pectore et ore suas.  
 3 Unus, et hic multa victus prece, venit alumnus,  
 4 et longas deses dormiit usque moras.  
 5 Qui levium tandem pertaesus frivola rerum,  
 6 maluit infernum tristis adire chaos.  
 7 Ex hoc sola die soli subsellia restant,  
 8 discipulos Doctor nunc habet ille suos.

IN EUMDEM.

E4\_006 v.1 Quod mihi sit tenuis gaudes obicisque facultas,  
 2 nec melior, Codro quam fuit ante, domus.  
 3 Teque refers omni post velle studere labore,  
 4 ut nullas habeam prorsus egenus opes.  
 5 Haec tua religio, crucifixi haec dogmata Christi ?  
 6 Haec est. Rabinus quam profiteri, fides ?  
 7 Taliter affectus stas sacra in veste sacerdos,  
 8 hoc, age, tu magnum conficis ore deum ?  
 9 Hoc solitas animo supplex prostratus ad aras,  
 10 vis sanctum credat te pia turba virum ?  
 11 Ter licet innocuum te vellere finxeris agnum,  
 12 qui tamen es numquam desinis esse Lupus.

AD SCHALBUM.

E4\_007 v.1 Sacrificaturus subit altam funiger aulam,  
 2 forte pedes lignis exuit ante suos.  
 3 Quae foris ut ludens hinc jactat et inde juvenus,  
 4 et ferit ad duram comminuitque petram,  
 5 prosiliunt fulvae duo ferme pondo monetae,  
 6 sub sacris ibi quae delituere volis.  
 7 Hunc quis, Schalbe, neget superis intendere fratrem,  
 8 terrenas qui tam sedulo calcat opes ?

AD SEDECIANUM.

E4\_008 v.1 Quattuor interpres pia Christi dogmata menses,  
 2 discipulis legi, Sedeciane, meis.  
 3 Quod modo resciscens rasae Lupus Alpha farina,  
 4 projectum porcis clamat amaracinum.  
 5 Meque scabros medicos jubet obscaenosque Poetas  
 6 curare, et sacris linquere sacra viris.  
 7 Non mihi de tantis fas dicere scireque rebus,  
 8 ut cui non glabra sit calva, nec uncta manus.  
 9 Nec data laxarunt reverendos prandia ventres,  
 10 et possum nullis esse sophista modis.  
 11 Denique, quod majus super haec tam magna piaclum,

12 est mihi legitimo juncta puella toro.

DE EQUO IN TEMPLUM IRRUENTE.

E4\_009 v.1 Ad sacrum Paulus prope Gerae flumina fontem  
2 rasis sacrificos illiniitque novos,  
3 excusso subiens hic insessore caballus,  
4 se media viso miscuit aede choro.  
5 Nempe rudes cernens quod tonderentur aselli,  
6 his dignum sacris se quoque duxit equum.

IN ANTONIANOS STATIONARIOS.

E4\_010 v.1 Venit ad aethereum defunctus pistor olympum,  
2 quem repulit clausas janitor ante fores.  
3 Tunc, ubi divus, ait, pater est Antonius ille,  
4 cui pinguem pavi bis duo lustra suem ?  
5 Obscuro latet hic, inquit Petrus ille sub antro,  
6 non oculos audens huc aperire suos.  
7 Tam pudet istorum scelerum quae tantaque totque,  
8 illius nequam nomine turba patrat.  
9 Quando profana vehens immensum sacra per orbem,  
10 a fatua tantas plebe coauget opes.

DE FURIBACCHO.

E4\_011 v.1 Quidam, quam numquam vidit, quod caecus amarit,  
2 magnus, qui mihi nunc excidit, auctor ait.  
3 Hoc ego non adeo mirabile duxero monstrum,  
4 ignorans Sophiam sic Furibacchus amat.

AD LECTOREM.

E4\_012 v.1 Quis sit hic in nostro Furibacchus carmine quaeris,  
2 ut taceam, signis proditur ille suis.  
3 Nempe bonas totus furit, et bacchatur in artes,  
4 hoc sibi qui meritus conspice nomen habet.

AD FRANCISCANOS.

E4\_013 v.1 Dicite qui nullum mendici attingitis assem,  
2 et geritis mundas prorsus ab aere manus.  
3 Unde sit haec vestri tam magna pecunia fisci,  
4 ut quater Attalicas aequiparetis opes ?  
5 Si pia stips tantas nummorum cogit acervos,  
6 non dubitem Phrygius dona rogare Midas.

AD CONJUGEM.

E4\_014 v.1 Garrula nil cures quid cras vicinia dicat,



2 cum tuleris nullas in sacra templa faces.  
 3 Ostentent aliae cives quantaslibet hastas,  
 4 quas etiam totus mittit Hymettus opes.  
 5 Tu cape salvifici caelestia dogmata verbi,  
 6 et jugi Paulum volve Petrumque manu.  
 7 Scilicet haec caecas animi candela tenebras,  
 8 discutit, et claram pandit ad astra viam.  
 9 Hic ubi perpetuo collucent omnia sole,  
 10 et nostrae superi nil ope lucis egent.

## DE FRANCISCANIS.

E4\_015 v.1 Vix erumpenti flagrans stetit igne lupanar  
 2 et medium nondum nox faciebat iter.  
 3 Altus ubi aegra hominum sopiret corpora somnus,  
 4 primam lignipedum turba ferebat opem.  
 5 Nulla haec sedulitas, nulla haec vigilantia, verum  
 6 hic pernoctantes exsilire viri.

## AD CANDIDUM.

E4\_016 v.1 Sex petis aureolos credam tres, Candide, menses,  
 2 heu mediam vellis dulcis, amice, manum.  
 3 Sacrificum potius Furibacchum quaere, sed huic tu  
 4 reddere post illos, cogeris octo, dies.

## AD BEDAM.

E4\_017 v.1 Parce tuis digitis et mancae, Beda, sinistrae,  
 2 quis furor est, quod sic mortua ligna feris ?  
 3 Si qua Lutherani te laesit contio Justi,  
 4 ipse luat, mensam nec mihi frange meam.

## DE EODEM.

E4\_018 v.1 Antilutheranis convixit Beda cucullis,  
 2 vae mensae, modo si venerit ille, meae.

## DE RURI MENDICANTE MONACHO.

E4\_019 v.1 Rasmus ubi nuper rus caseolarius isset,  
 2 et medio pressus nocte fuisset agro.  
 3 A quodam petiit communia tecta colono,  
 4 et lectum stravit non gravis ille suum.  
 5 Et se stramineo procul in centone locavit,  
 6 tanta boni pietas religioque viri.  
 7 Ante vocata alio Lucinae ad munia conjunx,  
 8 tunc obstetricem forte ferebat opem.  
 9 Quae rediit decimam, sed rerum ignara, sub horam,  
 10 altus ubi pressit languida membra sopor.  
 11 Hanc vigil indomitae excepit hypocrita votis,

12 consortem patiens credidit illa suum.  
 13 Tot mirata vices tandem, et grave ventris omasum,  
 14 calvum per lunam conspicit esse caput.  
 15 Mox quemdam stupefacta putans cacodaemona clamat,  
 16 et vocat amissum terque quaterque virum.  
 17 Irruit hic, et ut id sacro audit in hospite crimen,  
 18 turpe statim juxta femina scindit onus.  
 19 Et, "Tantos eunuchus habes tu, perfide, testes,  
 20 tam potes indignum sumere nomen", ait.  
 21 O miseros cives, in felicesque maritos,  
 22 qui magno saturant talia monstra malo.  
 23 Multa Semiramis hac sit Pasiphaeque necesse est,  
 24 illi qua regnant urbe boves et equi.

## AD ARGUM.

E4\_020 v.1 Jam tribus assistis Ruffo conviva diebus,  
 2 et non, quod luscus lippiat, Arge, vides.  
 3 In cochleare tuo tenuem videt ille capillum,  
 4 quam non conveniens hoc tibi nomen habes.

## AD FLORAM.

E4\_021 v.1 Non ita testanti fastidia corde superbi,  
 2 nec tot te dignes Flora repelle procos.  
 3 Insigni fateor facie pulcherrima virgo es,  
 4 sed, quo tu potius rejiciaris, habes.  
 5 Conspicuo silvas anagyris flore decorat,  
 6 at quae causa quod hinc nulla corona placet ?

## DE RUSTICO.

E4\_022 v.1 Depremsum leporem portavit rusticus Alcon,  
 2 obvius huic pagi forte magister ait.  
 3 Sex numera libras edictam perfide multam,  
 4 prendisti quam scis principis esse feram.  
 5 Portaturus eram tibi, mendax rusticus inquit,  
 6 quamvis cauliculos roserit illa meos.  
 7 Non voluit nudis praefectus credere verbis,  
 8 sed sancte adstricta certior esse fide.  
 9 Itum est vicinas rasi pastoris in aedes,  
 10 juret ut hic Christi per sacra verba dei.  
 11 Quaesitusque Evangelii liber omnibus antris,  
 12 in tota nullus sed fuit ille domo.  
 13 Hic ficto intrantem puerum gravis ore sacerdos  
 14 corripuit, quis, ohe, biblia nostra tulit ?  
 15 Cui puer, hesterno bene potus vespere nescis,  
 16 fregisti nostram dum fureres in heram.  
 17 Et simul ostensas ibi post cunabula partes,  
 18 collegit laceri sedulus alveoli.

## IN EPHEMERIDAS.

E4\_023 v.1 Quis regat instantis vaga tempora Juppiter anni,  
 2 consule dicentes lector Ephemeridas.  
 3 Illius admonitus prius, ut contraria dictis  
 4 accipias, sic non tam rata Phoebas erit.  
 5 Si tristes pluvias tempestatesque minantur,  
 6 exspecta placidos et sine nube dies.  
 7 Si rapidos soles, penetrabile frigus aduret,  
 8 si dubias auras, tunc stata suda mane.  
 9 Denique quodcumque est in eis, sic semper habeto,  
 10 tamquam quae varius foedera Papa ferit.

## DE MONACHO.

E4\_024 v.1 Dum lecturus iit ruri pia munera frater,  
 2 conspectum coepit sollicitare lupum.  
 3 Quo clamore citi subito accurrere molossi,  
 4 dimissaque virum corripuere fera.  
 5 Quippe magis nocuum potuerunt noscere monstrum,  
 6 et nos hoc divos credimus esse genus ?

## AD CONJUGEM.

E4\_025 v.1 Cara, vale, conjunx, Italas proficiscor ad urbes,  
 2 hic studiis latum pilea digna meis.  
 3 Interea frugi communia pignora mater,  
 4 qua consuevisti sedulitate fove.  
 5 Teque tuumque mihi conserva sine labe pudorem,  
 6 altera perpetua Penelopaea fide.  
 7 Contra non infidus ero, neque lentus Ulysses,  
 8 me reducem, spera, prima reducet hiems.  
 9 Nullaque me Circe retinebit, nullaque Siren,  
 10 nullaque plus dulcis te mihi lotus erit.

## IN IMAGINEM CRUCIFIXI PRO MERCURIALI STATUA ITER MONSTRANTIS.

E4\_026 v.1 Si te multifidus varia in ramalia trames  
 2 duxerit, et dubium fecerit error iter.  
 3 Aspice qua fixus media inter compita Christus,  
 4 indicat, hac rectam noveris esse viam.

## ALIUD.

E4\_027 v.1 Quod taetrici numquam potuerunt ante sophastri,  
 2 indicat haec veram lignea dextra viam.

## DE GEORGIO STURTIO.

E4\_028 v.1 Intentis oculis, patuloque stupescis hiatu,  
 2 dum numerat gemmas Sturtius ille suas.

3 Intima si reseret candentis scrinia cordis,  
4 majores illis conspicerentur opes.

AD CAROLUM CAESAREM IN COMITIIS BORMATIANIS.

E4\_029 v.1 Signandus niveo dies lapillo,  
2 dilutoque mihi notandus auro  
3 inter maxima festa primus, in quo  
4 praesentes licuit videre vultus  
5 illius Dominique Principisque,  
6 qui totum regit et tuetur orbem  
7 augusto imperio, suaque diva  
8 majestate serenat, ornat, auget.  
9 Haec fausti tua scepra dii secudent,  
10 invictissime Carole Imperator,  
11 ut te Caesare Christiana tandem  
12 felici pietas resurgat auctu.  
13 Hoc fiet, pius ille si Lutherus,  
14 coram te modo qui citatus adstat,  
15 servetur, quod et orat, audiatur,  
16 nec des tam faciles benignus aures  
17 vaftris fraudibus Ausonum Sinonum.  
18 Quaerunt interitum tuae salutis,  
19 et tantum sibi consulunt, videbis.  
20 Hoc praedicere me tibi memento  
21 vatem Laocoonta, dive Caesar.

AD MARTINUM LUTHERUM.

E4\_030 v.1 Heu, frustra suavem Christi dispergis odorem,  
2 taleque divino nectar ab ore fluit.  
3 Hic ubi tot ventres contra peduntque cacantque,  
4 et tantus pecorum sordet ubique fimus.  
5 Haec novus Alcides opus est ut saepta repurget,  
6 si modo doctrinam vis redolere tuam.

AD DOMINICANUM MONACHUM.

E4\_031 v.1 Quod securus abit victorque impune Lutherus,  
2 justa quidem pectus commovet ira tuum.  
3 Quippe tot, ut dicis, qui mersit ad infera vitas,  
4 deberet merito publicus igne mori.  
5 Quando, cum vellent unum diis jungere divum,  
6 quattuor e vobis sic periere patres.

DE MULOMARITO BORMATIAE SUBMERSO.

E4\_032 v.1 Posse pium vinci, pareret si mula, Lutherum,  
2 quidam deridens Pontifices vir ait.  
3 Audiit haec gaudens Italorum coetus, et inquit,  
4 maxima nunc causae est spes Aleandre tuae.  
5 Scilicet hoc Gallae cessit feliciter omen,

6 ut Latia fieret summus in urbe pater.  
 7 Et simili ostento victor Babylona Darius  
 8 cepit, et hic verax esse propheta potest.  
 9 Quare si quid habes Judaeae fraudis et artis,  
 10 perdendo sollers insidiare viro.  
 11 Nos solito uxores pectemus strigile mulas,  
 12 e tanto pariet forsitan una grege.  
 13 Post paucos manifesta dies fraus illa patescit,  
 14 phuh inter foedum prenditur unus opus.  
 15 Quem post dum rapidis Rheni submergeret undis,  
 16 in medio ridens agmine lictor ait.  
 17 Tunc tua convictum superabit Roma Lutherum.  
 18 Istud ubi ebiberis Mulomarite vadum.

## DE EODEM.

E4\_033 v.1 Dum stat ad undantis subterflua bracchia Rheni,  
 2 poturus meritas antilutherus aquas.  
 3 Respicit uxores miserando lumine mulas,  
 4 non mea sed, dicens, mors mihi vestra dolet.

## DE EODEM.

E4\_034 v.1 Mirata est subito caros Bormatia pisces,  
 2 et vacuum toto mense fuisse forum.  
 3 Consultus tandem quae nam haec penuria Rhenus,  
 4 iste mali causa est mulomaritus, ait.  
 5 Scilicet horrendum hoc atque exsecrabile monstrum,  
 6 squamea ad Oceanas turba refugit aquas.

## AD MANTUAM URBEM.

E4\_035 v.1 Exoptata diu tandem te Mantua cerno,  
 2 incluta divini patria Virgilii.  
 3 Hic patulae recubans olim sub tegmine fagi,  
 4 pascentes cecinit Tityrus inter oves.  
 5 Hos Meliboeus agros, haec dulcia rura reliquit,  
 6 hic vitreis undis Mincius ille fluit.  
 7 Hanc duxere pedes hac tristem Moerin in urbem,  
 8 amissas Lycidae dum quereretur opes.  
 9 Salve perpetuo notissima nomine sedes,  
 10 qua madet extremis ultimus orbis aquis.

## DE NATALI SOLO VIRGILII.

E4\_036 v.1 Quas dic navita remigamus undas ?  
 2 Stagnans Mincius hanc facit paludem.  
 3 Sed qui gurgitibus statim retractis,  
 4 angusto fluet incitatus alvo.  
 5 Et mixto celeres Pado vehemur.  
 6 Hic quis pagus in hisce populetis ?  
 7 Nostris jam Pietula nominatur,

8 sed quondam fuit ille dictus Andes.  
 9 Quae nam quae prope lusitant puellae ?  
 10 Ipsas Aonides vides sorores,  
 11 quae natale solum sui Maronis  
 12 laeto concelebrant choro, ille Vates  
 13 hac primas ibi sede traxit auras.  
 14 Sanctas praeteriens Deas honora.

## AD IOAN. MANARDUM.

E4\_037 v.1 Paucos discipulos pascens ubi vidit asella,  
 2 dum vacua legeres, docte Manarde, schola :  
 3 "Quam pretiosa cadat sine fructu lectio, dixit,  
 4 doctrinae auditrix sim prius ipsa tuae."

## AD EUMDEM.

E4\_038 v.1 Cur homo te magnum dubitem profitente Galenum  
 2 discere ? Bruta tuas intrat asella scholas.

## ASELLA AD EXPULSOREM.

E4\_039 v.1 Non ita me duro miserandam verbere caede,  
 2 quin condiscipulam da residere tuam.  
 3 Hanc venio auditum quam vos hic discitis artem,  
 4 huic operam studio nunc dabo vestra comes.  
 5 Tot siquidem, video, medicina beavit asellos,  
 6 mutabit sortem forsan et illa meam.

## DE LYCO.

E4\_040 v.1 Ima Lycum crebri pulices per tempora pungunt,  
 2 cur ? Nitet in rutila plurima gemma manu.

## AD NICOLAUM LEONICENUM.

E4\_041 v.1 Ergo relicta mihi magno Germania sumptu,  
 2 haec, quod sum tantum, causa, profectus iter ?  
 3 Ut Latiae in Latio faciam dispendia linguae,  
 4 quam potui in media discere Barbaria ?  
 5 Mirum est quae infectus traxit contagia sermo,  
 6 dum medicos verso, Barbara scripta, libros.  
 7 Tu tamen id docto vitium mihi corrigis ore,  
 8 atque tua, quod in hoc perdo, reponis ope.  
 9 Qui tot scabra polis, tot quae sunt aspera tornas,  
 10 cogis et excultis mundius ire togis.  
 11 Nec parcis gravibus nonagenarius annis,  
 12 quin tuus hic fervet nocte dieque labor.  
 13 Tanta juvandae urget te sollicitudo juventae,  
 14 tantus communis commoditatis amor.  
 15 Una igitur pergas opera clarum tibi nomen,

16 et vitam populis conciliare suam.

DE ACCIO.

E4\_042 v.1 Perdedit ex una sex Accius arbore ficus,  
 2 vae tibi qui carpsti, vae miserande puer.  
 3 Multa tibi durae minitatur verbera virgae,  
 4 vae natibus, si te prenderit ille, tuis.

AD NICOLUM.

E4\_043 v.1 Sex propter ficus saevo fremit Accius ore,  
 2 dixeris iratum, Nicole, jure virum.  
 3 Qui sua ficetum tantum modo gaudia ducit,  
 4 tam gnavaque frequens sedulitate colit.

AD CAELIUM CALCAGNINUM.

E4\_044 v.1 Prae legis ex nudo vix inspectoque libello,  
 2 tot tamen auctorum condita sensa citas,  
 3 cultaque perpetuo decurrunt verba lepore,  
 4 qualiter e plenis Attica mella favis.  
 5 Scilicet adstantes tibi dictant omnia Musae,  
 6 afflat et aspirans numen Apollo suum.

AD LYCUM.

E4\_045 v.1 Aspicias hunc, Lyce, mendicum mancumque brevemque,  
 2 una cui, sed et haec demutilata manus ?  
 3 Solus in hac pollex, quique illi proximus index,  
 4 desecuit reliquos Martius octo chalybs.  
 5 Non contemne virum, nihil est crudelius illo,  
 6 complures homines perdidit his digitis.

AD TUCCAM.

E4\_046 v.1 Dixisti mihi te lectum dare, Tucca, superbum,  
 2 dixisti verum, Tucca, superbus is est.  
 3 Cedit enim nulli, dura sed mole resistit.  
 4 Hunc ego non palmam, Tucca, tenere negem.

AD SIGENUM.

E4\_047 v.1 Accipio grato tam pulchrum pectore munus,  
 2 ac animi pignus non mihi vile tui.  
 3 Ista novi felix erit omen zona sodalis,  
 4 mutuus ut numquam dissoluatur amor.  
 5 Hac fluidam quoties mihi quondam strinxero vestem,  
 6 sis ubivis dicam, care Sigene, vale.

## AD EUMDEM.

E4\_048 v.1 Quod dederas munus velut exprobrare videris,  
 2 et totum speras hinc tibi forte librum.  
 3 Tu mihi contextam das Serum vellere zonam,  
 4 ipse meos aliquot reddo, Sigene, modos.  
 5 Plus utrius donum ? Non sex manet integra menses  
 6 illa, sed aeternum carmine nomen habes.

## AD PHOEBUM.

E4\_049 v.1 Enthea quid fervent immisso corda furore,  
 2 quid vis quod Vates, maxime Phoebe, canam ?  
 3 Quanta, papae video, rerum mutatio surgit,  
 4 quam sunt in dubio turbida cuncta statu.  
 5 Quid quod praepetibus gestit Jovis armiger alis,  
 6 confixumque suo subvehit ungue capum ?  
 7 Felix augurium, devicti robora Galli  
 8 profligans niveis Caesar ovabit equis.  
 9 Quod vero triplicem vanescere cerno coronam,  
 10 non ita post multos vae tibi Roma dies.  
 11 Dicere caligans prohibet me cetera nubes,  
 12 vos sperate boni, vosque timete mali.

## AD CALLIODORUM.

E4\_050 v.1 Pellicibus furiosa suis male Galla precatur,  
 2 dii servent dextram Calliodore tuam.

## DE POLLIONE.

E4\_051 v.1 Emit et aptavit flavos sibi Pollio crines,  
 2 scilicet hoc cupiens Teutonus esse modo.  
 3 Sed dolus, insidiae, fraus, impostura, libido,  
 4 perfidia et livor clamitat, est Italus.

## AD OMNES DOCTOS ITALIAE.

E4\_052 v.1 Quod reprobos mores vestratis mordeo gentis,  
 2 non aegro celebres pectore ferte viri.  
 3 Quam non hos simili meruistis crimine dentes,  
 4 tam vos Pierio plenus amore colo.  
 5 Cum foedis nostrae vitiis est pugna Thaliae,  
 6 quae vos ut doctos sic putat esse bonos.

## AD DIVUM PETRUM.

E4\_053 v.1 Dive, tuas ego te per claves janitor oro,  
 2 sic referant sacrum ter stata festa diem.  
 3 Dic mihi num calvos omnes admiseris istos,



4           quos pictos monstrant templa domusque Deos ?  
 5       Quot non Icario volitant sub sidere muscae,  
 6           quot nec in Alburni quercubus oestra sonant ?  
 7       An suos hos tantum victus cultusque sodales,  
 8           et data Pontifici multa talenta beant ?  
 9       Sicque salutaris Christi doctrina facessit,  
 10           nulla magis pietas, nulla juvatne fides ?

IN HORTUM LAOMEDONTIS.

E4\_054 v.1       Siste, proterve puer, furtivas carpere ficus,  
 2           vis ficus, dominum Laomedonta pete.

AD BACCARAM.

E4\_055 v.1       Quod rarus veniam pransum conviva requiris,  
 2           appositis possum non satur esse feris.  
 3       Quas puta figlinus cum testa excoxerit ignis,  
 4           ad stomachum victus non facit ille meum.

AD ALCIMUM, DE EODEM.

E4\_056 v.1       Ex Agathocleis edit, Alcime, Baccara vasis,  
 2           et mensam cervis ornat aprisque suam,  
 3       quos non pluris emit quam quino forte quadrante,  
 4           et tamen extrema marcuit ecce fame.

DE EODEM.

E4\_057 v.1       Tres una lepores apponit Baccara lance,  
 2           numquid sic conans Baccara lautus homo est ?

AD NICOLAUM LEONICENUM.

E4\_058 v.1       Docte senex, alium quem candida fama Galenum,  
 2           atque simul Coum praedicat Hippocratem.  
 3       Si tibi non incommodum erit, nec forte molestum,  
 4           mitte Dioscoriden huc mihi quaeso tuum.  
 5       Tum quem Virgilius modo, tum quem Barbarus ante  
 6           ornatis compsit perpoliitque togis.  
 7       Ut videam tua quas felix industria gemmas  
 8           addidit, et tantas ditior auxit opes.

AD GEORGIUM STURTIUM.

E4\_059 v.1       Quod proni obstipa monachi cervice vagantur,  
 2           quae sit vis versu discere causa meo.  
 3       His innixa viris, nescis ? Ecclesia sistit,  
 4           sub Stygios alias mox ruitura lacus.  
 5       Quin et consessae suscepta piacula plebis,

6 fert humeris graviter pressus hic ordo suis.

IN ANTILUTHEROS.

E4\_060 v.1 Non ita captivum laeti gaudete Lutherum,  
 2 non vetitus calamus, nec religata manus.  
 3 Quando suos scripsit (quos hic habet arma) libellos,  
 4 hoc etiam vinctus tempore Paulus erat.  
 5 Ipse propheta potest indigna in vincula trudi,  
 6 committens sua vult libera verba Deus,  
 7 quae totum nihilo minus ille refundet in orbem,  
 8 et novus haec iterum gaudia luctus erunt.

IUPPITER AD MERCURIUM.

E4\_061 v.1 Dulcis ades, pennasque apta, et talaria fili,  
 2 et patris auscultans jussa capesse tui.  
 3 Despicias Aemiliis surgentem tractibus urbem ?  
 4 Ad veterem pingui quae sita rura Padum.  
 5 Clara ducum sedes, gratum Ferraria nomen,  
 6 si non armigerum temneret illa meum.  
 7 Fidus eo levibus delabere nuntius alis,  
 8 haecque meo medicis nomine verba refer.  
 9 Protractum facilis concedo civibus aevum,  
 10 ast immortales hos ego nolo deos.

IN LUDOS FLORENTINORUM.

E4\_062 v.1 Saeva bis haereticum combussit Roma Lutherum,  
 2 discerpisitque uncis infera turba suis.  
 3 Edit idem laeto munus Florentia vulgo,  
 4 dum colit agniferi lucida festa patris.  
 5 Talia de caelo spectans ludibria Christus,  
 6 "Quam post haec olim gaudia flebis", ait.

AD BARTOLUM.

E4\_063 v.1 Rus abeo, si non aegre latura sit uxor,  
 2 huc tua mittatur, Bartole, mula mihi.

AD PHOEBUM

DE CAELIO CALCAGNINO SUB INGRUENS SOLSTITIUM PRAELEGERE CESSANTE.

E4\_064 v.1 Non ita festinis Cancrum pete, Phoebe, quadrigis,  
 2 attrahe vectores, ut remorentur, equos.  
 3 Et sine cantet adhuc aliquot Philomela diebus,  
 4 quae mea tam dulci pectora voce juvat.  
 5 Nil moror instanti cuculos cessare sub aestu,  
 6 haec mihi continuo dum moduletur avis.

## AD FLORENTIAM.

E4\_065 v.1 Quam proba tu fueris, Florentia, nescio, verum  
 2 Florentinari turpe malumque sonat.  
 3 Horret ad hoc, si quando audit, Germania verbum,  
 4 quo quod signetur, dic mihi quaeso, scelus ?  
 5 Si facis infamis quod dicit fabula, miror  
 6 quod non sulphureus sit tua terra lacus.

## AD SE IPSUM.

E4\_066 v.1 Infandos juvenum fugis, exsecraris amores,  
 2 et quae sunt Itali cetera monstra soli.  
 3 Hos potius lauda, si vis hic vivere, mores,  
 4 immo voca sanctum, qui facit ista, virum.  
 5 Haeretici ne discipulus videare Lutheri,  
 6 et Florentinis exhibeare rogis.

## AD UXOREM.

E4\_067 v.1 Si quis Geriflua me non amat hostis in urbe,  
 2 gestit in externis quod peregrinor agris.  
 3 Quasque mihi favet aerumnas, durosque labores,  
 4 concipit infracta me modo mente pati.  
 5 Ut sequar hic vilis captatum vappa catinum,  
 6 et lacer in media plebe rogator eam.  
 7 Utve subornatis enectum forte venenis,  
 8 me raptent avidi dilacerentque canes.  
 9 Nequiquam exsultans haec fingit gaudia livor,  
 10 candida felicem net mihi Parca colum.  
 11 Fausta et laeta meo succedunt omnia voto,  
 12 jucunda in sano corpore vita mihi est.  
 13 Quod si te caraque frui mihi prole liceret,  
 14 nulla foret curae sollicitudo meae.  
 15 Hoc ideo, ut doleant inimici, nuntio, tuque  
 16 in tacito gaudens exhilarere sinu.  
 17 Vive, vale, et cum Strymoniae clanxere volucres,  
 18 exspecta reducem (sit modo vita) virum.

## AD DIVUM PETRUM ROMAE.

E4\_068 v.1 Quam bene quod superam quondam conscenderis arcem,  
 2 cum pretio nondum constitit illa suo.  
 3 Mascula quando dedit divis accedere virtus,  
 4 inque pia constans religione fides.  
 5 Nunc haec prostituunt venale, heu, saecula caelum,  
 6 et facit insignes fulva moneta deos.

## DIVUS PETRUS AD GERMANIAM.

E4\_069 v.1 Non opus ut missis Romam Germania nummis,  
 2 aut peregre fesso me venerere pede.

3 Quae tua jam plures insania durat in annos,  
 4 quam decet illius fortia corda soli.  
 5 Non ita praeceptor Christus, non sancta vetustas,  
 6 sed Latiae docuit foeda cupido gulae.  
 7 Quae summum sibi Pontificem me fecit, ut essem  
 8 servus captandis hic ego bubo lucris.  
 9 Divinae potius custodi seria legis,  
 10 talibus in nugis non sita, crede, salus.  
 11 Quis furor iste, domi vivum contemnere verbum,  
 12 mortuaque externis finibus ossa sequi ?  
 13 Milleque, dum spectas ea, sannas auriculasque  
 14 te clam ridentis sustinuisse chori ?

QUOMODO PAPA MONACHIS UTATUR.

E4\_070 v.1 Scis cui cucullatos rei adsimilem patres ?  
 2 Bibulae velut sunt spongiae.  
 3 Nam quicquid aurei est ubique fluminis,  
 4 siticulosi ad se trahunt.  
 5 Sed quos statim siccis subinde faucibus  
 6 Romanus exsugit croton.

AD POLLIONEM.

E4\_071 v.1 Omnes per superos, per trinaque numina juras,  
 2 perque incarnati mystica liba dei.  
 3 Esset habenda fides vel nudis Pollio verbis,  
 4 si coma temporibus viveret ista tuis.

IN LAUDEM FERRARIENSIIUM MEDICORUM.

E4\_072 v.1 Quod raras ingens animas Ferraria mittat,  
 2 obstupuit dubitans portitor ipse Charon.  
 3 Quaesitus quaenam ratio Cyllenius, inquit,  
 4 hanc sedem praeses servat Apollo suam.  
 5 Is medica multos ibi suscitatur arte Galenos,  
 6 qui cymbam vacuent, si modo plena, tuam.

AD EOBANUM HESSUM.

E4\_073 v.1 Nescio quae capiunt Italae me taedia terrae,  
 2 quando sodalicii sum memor, Hesse, tui.  
 3 Tot puta amicorum tristi quos corde reliqui,  
 4 et modo post multos opto videre dies.  
 5 O jucunda tuae quondam solacia mensae,  
 6 o doctae cenae, dulceque colloquium.  
 7 Innocuique sales, hilares risusque jocique,  
 8 candida libertas, et pia simplicitas.  
 9 Felix hora redux tibi qua conviva recumbo,  
 10 et licet alternos concinuisse modos.

## AD NICOLAUM LEONICENUM ATROPOS.

E4\_074 v.1 Parce cave, et quantis medicans potes utere curis,  
 2 atque tuos septem protrahe saecla dies.  
 3 Denique sis magni Phoebi doctissima proles,  
 4 hacque suas repares manibus arte colus.  
 5 Ista tamen, quamvis sero, tibi fila secabo,  
 6 jus nulli fas est vincere posse meum.  
 7 Inviolabilibus succumbunt omnia fatis,  
 8 incluta virtutis gloria sola manet,  
 9 quam peperit doctis speciosa scientia famam,  
 10 hanc nostrae possunt non abolere manus.  
 11 Illo perpetuus fateor, tu nomine vives,  
 12 tale decus studii dant monumenta tui.

## AD DOMINICANUM MONACHUM.

E4\_075 v.1 Ad tua, sancte, vocas semper me prandia, frater.  
 2 Vis semel ut dicam, quod volo ? Non veniam.  
 3 Non tamen ut tenui credam te vivere mensa,  
 4 quis sit vestrarum qui scio luxus opum.  
 5 Tam bona ne lautus, timeo, mihi fercula ponas,  
 6 forte domi ut cenem non ego deinde meae.

## AD GEORGIUM STURTIUM.

E4\_076 v.1 Saepe mones positus ut tractem seria nugis,  
 2 Ausonio recolens cur peregriner agro.  
 3 Dum rapido fervens ita sidere Julius ardet,  
 4 qui cavet ut valeat sat mihi discit homo.  
 5 Ergo sine Aonia spatier paulisper in umbra,  
 6 et referant vires grata vireta meas.  
 7 Haec meus est fimus, meus est haec cura fritillus.  
 8 Viles, quam nummos, perdere malo schedas.

## AD NICOLAUM LEONICENUM.

E4\_077 v.1 Non quod te laudem, sed quod sim doctus, ais te  
 2 ex tota caro mente favere mihi.  
 3 Agnosco nullas adeo quibus efferar artes,  
 4 infima Castalii me fovet aura jugi.  
 5 Et mea nota mihi est nimis ignorantia, quare  
 6 affectu loqueris, clare vir, illa tuo.  
 7 Quo patet eximius sub amico pectore candor,  
 8 quantus et Aonii cultor es ipse chori.

AD MARCELLUM VIRGILIUM,  
 QUOD DIOSCORIDEN INTERPRETATUS SIT ET ANNOTAVERIT.

E4\_078 v.1 Hoc quis, docte, tuum studium, Marcelle, rependet,  
 2 dignaque pro tanto dona labore feret ?  
 3 Si media totus consurgas aureus urbe,

4 dent et opes Medices terque quaterque suas.  
 5 Debita non poterit digne tibi gratia solvi,  
 6 plus es in hoc meritus quam peritura libro.

AD GEORGIUM STURTIUM.

E4\_079 v.1 Italicam nolo, si possem, discere linguam,  
 2 nam vereor mores ne trahat illa suos.  
 3 Barbarico potius sic duriter eloquar ore,  
 4 Teutona dum probitas, sanctaque vita manet.

IN OBSCOENAM PICTURAM.

E4\_080 v.1 Unde quod infandos facis hic, Ithyphalle, soloecos,  
 2 tantus es in media barbarus Italia ?  
 3 Qui tot ubique frequens in porticibusque scholisque,  
 4 multa bonos audis saecula grammaticos.

AD CATULINUM.

E4\_081 v.1 Nil moror hunc, imo invisum mihi noris amorem,  
 2 cum scribis fratrem te Catuline meum.  
 3 Injicis hac duplicem bis mendax parte pudorem,  
 4 non vir es, et monacho non ego patre nothus.

AD GEORGIUM STURTIUM.

E4\_082 v.1 Tu Veneta auscultas Urbanum gnavus in urbe,  
 2 hic ego sepositis otia duco libris.  
 3 Non tantum rapida quod sol me lampade torret,  
 4 major desidia est altera causa meae.  
 5 Quae nos a patrio distantia separat orbe,  
 6 quotque haec, scis, montes, quantaque saxa levat.  
 7 Fessa satis mens est, omni quae jugiter hora,  
 8 hanc tantam pernix itque reditque viam.  
 9 Nunc fidam sociam, nunc caros cogito natos,  
 10 dulcis amicorum nunc mihi turba subit.  
 11 Vis igitur post hac studiosum discere Cordum,  
 12 deliciis reducem flagito redde suis.

AD NICOLAUM ENDINUM.

E4\_083 v.1 Illustri sate Nicolae stirpe  
 2 vera nobilitate clara proles,  
 3 futurumque novem decus Sororum,  
 4 et victor trepidi rei patronus,  
 5 hic si perpetuus flagrabit ardor  
 6 ferventis studii tui et laboris,  
 7 audi quid tuus ille Cordus orat,  
 8 ille inquam tuus ut dato emptus aere.  
 9 Meo nomine plurimam salutem

10 ipsi dicito Sturtio, deinde  
 11 hortator, patrios ut ad penates  
 12 maturet, cupidumque me reducat,  
 13 hoc non amplius orbe commorari,  
 14 infandosque placet videre mores.

AD NICOLAUM LEONICENUM.

E4\_084 v.1 Si non est senio tuo molestum,  
 2 et vectore potes sedere mulo,  
 3 promissam redimas fidem, simulque  
 4 quaesitum medicas eamus herbas.  
 5 Quas alter Theophrastus atque Craevas  
 6 illo noscere diceris sub aevo  
 7 supra rancidulos volans magistros,  
 8 docta iudice perspicacitate,  
 9 te monstrante juvat semel doceri,  
 10 quae dediscere non sit hinc necesse.

AD EUMDEM, ET IOANNEM MANARDUM.

E4\_085 v.1 Quod vestrum video celebres certamen amici,  
 2 dum dare pileolum gaudet uterque mihi ?  
 3 Nullum ex me sperare licet, mihi credite, munus,  
 4 nil pauper praeter carmina Cordus habet.

IN GALLUM GALLINACEUM.

E4\_086 v.1 Pessime Galle, tace, sic cras tua colla secentur,  
 2 et glaber infixio transfodiare veru.  
 3 Quid mea conturbas invisio somnia cantu,  
 4 nec sinis hac semper posse quiete frui ?  
 5 Non adeo felix fuit ista nocte Micyllus,  
 6 qua subitas misero Morpheus auxit opes.  
 7 Jam mihi Germano sum vivere visus in orbe,  
 8 ad dulcesque domum me rediisse lares.  
 9 Jam cum dilectis jucunde ludere natis,  
 10 et dare consorti basia mille meae.  
 11 Haec mihi tu strepera frustraris gaudia voce,  
 12 meque per immensum tam cito vertis iter.

AD NICOLAUM LEONICENUM.

E4\_087 v.1 Accepi clarum titulum, insignemque tiaram,  
 2 magnum id, at est majus te tribuisse, decus.  
 3 Quo nihil haec medica videt aetas doctius arte,  
 4 a tanto laus est praemia ferre viro.  
 5 Ergo quas dignas nequeo persolvere grates,  
 6 tam merito debens semper habebo tibi.  
 7 Quocumque in populo quocumque vel orbe residam,  
 8 te praeceptorem concelebrabo meum.  
 9 Et tua dum vivo mecum quoque vivet imago,

10           ac memori data nunc oscula mente geram.  
 11       Aeterna, venerande senex, hac vive salute.  
 12           Extremum, tibi quod colloquor, illud erit.

## AD VENETIAS.

E4\_088 v.1       Vos quoque post longum tandem mihi cernere votum,  
           2           contigit Hadriaco condita tecta sinu.  
           3           Quid video ? Tantus non sat mortalibus orbis,  
           4           quin etiam mediis aedificent in aquis ?  
           5           At quid in hac homines miror considerare sede,  
           6           ad se cum divum traxerit illa chorum ?  
           7           Nempe relinquentes tot amoena vireta Camenae,  
           8           grata magis quovis haec freta fonte colunt.

## AD NICOLAUM ENDINUM.

E4\_089 v.1       Quis te clarorum genitum de sanguine patrum,  
           2           et multa celebrem nobilitate neget ?  
           3           En suspensa tuae sunt hic insignia gentis,  
           4           et vehit Endinam candida fama domum.  
           5           Plus speciosa tamen decus ars et mascula virtus,  
           6           quam tantum tribuit stemma genusque tibi.

## AD EUMDEM.

E4\_090 v.1       Magnus amicorum patrium me coetus in orbem,  
           2           hinc trahit, at studio tu trahis inde tuo.  
           3           Quod nisi cara domus proprio magnete valeret,  
           4           omnibus his unus fortior ipse fores.  
           5           Tam tua me virtus vero tibi junxit amore,  
           6           et mea ceu quodam pectora fune ligat.

## AD APOLLINEM.

E4\_091 v.1       Dum jacet Aetnaeo febriens Egnatius aestu,  
           2           te Medicum credam praeses Apollo deum ?  
           3           Cui rear esse datam te servatore salutem,  
           4           si non auxilium senserit ille tuum ?  
           5           Qui te praecipuo semper veneratus honore,  
           6           claruit Aonii candida fama chori.

## IN CHRYSOPOEIAM AURELII AUGURELLI.

E4\_092 v.1       Candidus Aureli merito celebrabere Vates,  
           2           qui qua sim Croeso ditior arte, doces.  
           3           Sic sex si dederò nummos, ipse indicat Hermes,  
           4           quo mihi thesaurus sit fodiendus agro.



## IN EANDEM AD LECTOREM.

E4\_093 v.1 Ipsam qua facies aurum sex assibus artem  
2 non emis ? Esse miser semper egenus amas.

## AD AURELIUM AUGURELLUM.

E4\_094 v.1 Quam recte et bene, commodeque factum,  
2 hanc quod docte Poeta Chrysopoeiam  
3 summo pontifici dicas et offers.  
4 Nunc nunc Romula techna, fraus, tyrannis,  
5 quae totius opes sitivit orbis  
6 exhausitque, peribit et facesset.  
7 Nam, qua, quod cupit, ipse formet aurum,  
8 transmissam Leo Papa coepit artem.

## AD EUMDEM.

E4\_095 v.1 Qui dandum captas missis pro versibus aurum,  
2 qui quibus id fiat scisque docesque modis ?

## AD QUEMDAM VENETUM.

E4\_096 v.1 Tristia funesti monstras vestigia belli,  
2 quo vestras Caesar fudit et hausit opes.  
3 Sed Veneto rursum nunc subdita cuncta Leoni  
4 jactas, et stupidos nos ais esse viros.  
5 Barbaricoque quidem devincere quaeque tumultu,  
6 at partum ingenio posse tenere nihil.  
7 Audiatur haec positus utinam Germania poclis,  
8 et vestros caveat sobria facta dolos.

## IN ALPIUM ANGUSTIAS.

E4\_097 v.1 Aspicias haerentes pronis anfractibus Alpes,  
2 quam sint angustae praecipitesque viae.  
3 Has ut nulla, vide, rota, nullus triverit axis,  
4 quas peragrans non se verteret Astur eques.  
5 Hac tamen ingentes Romam Germania montes  
6 transtulit, aequalis vix quibus Ossa patet.  
7 Quod tu non adeo stupidus mirare viator,  
8 grandius hac Tauro reddidit illa scelus.

## DE QUODAM FURE.

E4\_098 v.1 Constitit horrendum furti reus ante tribunal,  
2 et vinctas tenuit post sua terga manus.  
3 Hunc ubi formosum juvenem paupercula virgo  
4 cerneret, in socium poscit habere virum.  
5 Ad quam conversus morti modo proximus ille  
6 argutum nasum pressaque labra videt,

7       moxque adsistentem lictorem hortatur, et inquit  
 8       "Ad jussam propera, vivere nolo, necem.  
 9       Mortuus utilius quia quam tabesco superstes,  
 10       atque brevem malo quam sine fine crucem."

AD GEORGIUM STURTIUM.

E4\_099 v.1     Ut solis medicis toto me pectore dedam  
 2           et steriles linquam, dicis amice, Deas.  
 3           Utilis est Medicina mihi, dulcis mihi Musa,  
 4           omnia, miscuero haec si duo, puncta ferant.

BENEDICTIO MENSAE.

E4\_100 v.1     Praestita divino nobis alimenta favore,  
 2           auctoris dextra sint benedicta Dei.

GRATIARUM ACTIO.

E4\_101 v.1     Debile qui corpus largito pane refecit,  
 2           et verbo mentem recreet ille suo.

AD GEORGIUM STURTIUM.

E4\_102 v.1     Quando tribus vix hinc Erfordia milibus absit,  
 2           multaque sublimi luceat igne dies.  
 3           Quid juvat hic seras ruri exspectare tenebras,  
 4           et trahis innexis fervida vota moris ?  
 5           Nil numerata moror dandae mihi mattya cenae.  
 6           Quam patior nequeunt haec satiare famem.

EURICII CORDI EPIGRAMMATUM LIBER QUINTUS.

AD GEORGIUM STURTIUM.

E5\_001 v.1     Tantane, care, putas in me benefacta, Georgi,  
 2           ingratas umquam posse tacere fides ?  
 3           Non erit ut, totam licet epotavero Lethen,  
 4           officii possem non memor esse tui.  
 5           Pauca rependisti multo mihi carmina dono,  
 6           non semel hinc tenues commiseratus opes.

7 Postque tua Ausonias ope perlustravimus urbes,  
 8 et datus est capiti pileus iste meo.  
 9 Nec solum his in me meritis tua gloria crescit,  
 10 tota fere debet musica turba tibi.  
 11 Taliter adjutus Crotus, Hessus, Quaestor, et Hunus,  
 12 et quos non istis est numerare modis,  
 13 cognita perpetuis haec munificentia saeculis,  
 14 si sua carminibus vita manebit, erit.  
 15 Sic potes aeterna divis accedere fama,  
 16 et qua te speras posteritate frui.  
 17 Quod si continuo quo jam pede coeperis ibis,  
 18 praesentem prohibet te nihil esse deum.  
 19 Scilicet Aonidum musarum maximus Hercules,  
 20 a doctis Sturci rite colere viris.

DE MORTE INIMICORUM SUORUM.

E5\_002 v.1 Quis putet indignos lectu me scribere versus,  
 2 cum Clario curae sit mea causa deo ?  
 3 Namque venenatis immissa peste sagittis,  
 4 osores ultor sustulit ille meos.  
 5 Unus adhuc vivit Lupus, ut quem pluribus annis  
 6 tristi livoris vult superesse cruci.

EPITAPHIUM VERI.

E5\_003 v.1 Prima Sophistarum situs est hic gloria Verus,  
 2 barbara lugubri quem schola corde gemit.  
 3 Cui, sua neglectis ubi fata instare cucullis,  
 4 conspiceret, tristis vivere poena fuit.

DE EODEM.

E5\_004 v.1 Ut misera vidit pereuntes morte cucullos,  
 2 indignans querulo pectore Verus ait :  
 3 "Deliciae ite meae, veterum decora ite Sophorum,  
 4 vos ego Tartareum sub Phlegethonta sequor."

DE EODEM.

E5\_005 v.1 Si, quam pro tetrica fuit olim veste, fuisset  
 2 tam tua pro doctis sollicitudo viris.  
 3 Grata precaretur requiem caelumque juvenus,  
 4 quae te nunc diris devovet usque suis.

DE PHALESCO.

E5\_006 v.1 Livida tabescens sputit excrementa Phalescus,  
 2 unde sit illius, quaeris, origo mali.  
 3 Sedulus ut docuit Graece aspirare magister,  
 4 pulmonem rupit flatibus ille suum.

## AD PAPAM.

E5\_007 v.1 Hactenus in templis cecinit tua turba, quod omnis  
 2 nomine Martini palleat haereticus.  
 3 Hoc ubi, si quis eum nunc nominat, accidat illi,  
 4 haeretica ex verbis proditur ipsa suis.

## IN PRIOREM QUEMDAM.

E5\_008 v.1 Qui canis prior es patribus, sanctissime frater,  
 2 quis furor est pueros praeposuisse tibi ?

## AD VICTOREM PILEATOREM.

E5\_009 v.1 Quinque tuam lustris hac artem Victor in urbe  
 2 exerces, nec adhuc propria tecta locas.  
 3 I pete festino Romana palatia cursu,  
 4 atque statim magnas accumulabis opes,  
 5 unum ubi pileolum jam mille emere talentis,  
 6 funigeri, quibus hic das pia dona, patres.

## AD DELICIANUM.

E5\_010 v.1 Tam nequeunt orti radios et lumina solis,  
 2 ferre cucullati, Deliciane, Patres.  
 3 Ut pro venali dent mille talenta Galero,  
 4 tantas mendicis crescere miror opes.  
 5 Praesertim vetitos solitis non tangere nummos,  
 6 hos superis curae quis neget esse viros ?

## AD IOANNEM DIDERICHUM.

E5\_011 v.1 Grande scelus, nostris si praetereare Camenis,  
 2 duxero, totius dignus honore libri.  
 3 Sic collata in me toties benefacta merentur,  
 4 me quibus adstrinxisti tempus in omne tibi.  
 5 Huc ubi Thuringa me pestis ab urbe fugavit,  
 6 pingua qua dives rura Fridislar arat.  
 7 Hic tua me pietas tota cum prole recepit,  
 8 et dedit ad multos tecta cibumque dies.  
 9 Rustica propterea fictum te musa Menalcam  
 10 cantat, in hoc verum carmine nomen habes,  
 11 doctorumque simul sine fine per ora virorum,  
 12 his modo si nugis sit data vita, volas.

## DE QUODAM MENDICO.

E5\_012 v.1 Germanicum jactatur hoc proverbium,  
 2 habentibus panem datur panis viris.

3 Quod audiens potator Oenodypsius,  
 4 dum rem suam jugi gula decoxerat,  
 5 emptum duobus assibus panem tulit.  
 6 Et ad sacram mendicus aedem prostitit,  
 7 illius expertum fidem proverbii.  
 8 Sed cum diu stetisset et nemo daret,  
 9 tandem subindignans ait : "Sapiens homo,  
 10 ne credat insano nimis vulgo, cavet."

## AD ORTHUM.

E5\_013 v.1 Tale quid, Orthe, putas mundo portendere monstrum ?  
 2 Foeta cucullata prole juvenca fuit.  
 3 His ego speravi monachos cessare diebus,  
 4 ast illos pariunt nunc quoque bruta viros.

## AD BARDUM.

E5\_014 v.1 Quosque cucullatos in cedere cogis alumnos,  
 2 qui sua dant vestrae nomina, Barde, scholae.  
 3 Monstruosum nescis factum nunc esse cucillum ?  
 4 Hunc ubi pro vitulo bestia vacca parit.

## DE EODEM MONACHO VITULO.

E5\_015 v.1 Hac asinos monachos tenus omnis terra ferebat,  
 2 nunc vitulos monachos patria nostra dedit.

## DE EODEM.

E5\_016 v.1 Magnus erat tuus hic jamdudum Erfordia risus,  
 2 quod factus mulier parturiit monachus.  
 3 En nova jam sanctos incestat fabula fratres,  
 4 enitens monachum turgida forda parit.

## AD IOANNEM LANGUM.

E5\_017 v.1 Quam niger ille diu, feralis imago, cucullus  
 2 candorem obfuscat, maxime Lange, tuum ?  
 3 Factus ut hic, ne scis ? Est exsecratio cultus,  
 4 propter atrox horum, quos tegit ille, scelus.  
 5 Ut quoque jam toto monstruosus habetur in orbe,  
 6 post quam quadrupedem bos peperit monachum.

## IN SILVAM DE LAUDIBUS ET ORIGINE GOSOLARIAE.

E5\_018 v.1 Quae sita declivi Gosolaria valle latebas,  
 2 vix e vicinis conspicienda jugis,  
 3 ardua jam sublime ferens super astra cacumen,  
 4 perpetuos toto cerneris orbe dies.

5 Hoc etenim sacri munus solet esse poetae,  
6 ut nequeat, vitam cui dedit ille, mori.

## AD LECTOREM.

E5\_019 v.1 Me medicum simul et vatem miraris eundem ?  
2 Utrumque antistes munus Apollo dedit.

## AD SENATUM GOSOLARIENSEM.

E5\_020 v.1 Quam sit vestra bonis studiis propensa voluntas,  
2 egregium specimen, claraque signa patent.  
3 Quando leves tanto grati mihi pondere versus  
4 penditis, et largas adnumeratis opes.  
5 Quas ego tam magno referam pro munere grates ?  
6 Id supra vires, me modo posse, meas.  
7 Me tamen has vobis semper debere fatebor,  
8 dum mihi Castalias Musa ministrat aquas.

## AD LATOMUM GOSOLARIENSIUM.

E5\_021 v.1 Heu, quam non justam trutinat fortuna bilancem,  
2 quam nullo meritis lumine pendit opes.  
3 Centum forte pedes surgentem ponere turrim  
4 jusso sunt totidem pacta talenta tibi.  
5 Inserui summis ego totam nubibus urbem,  
6 et mihi dimidiae non data quadra minae.

## AD MICHAELEM LISARIUM.

E5\_022 v.1 Quod celebrata meo Gosolaria carmine vivit,  
2 conjice rectores quid retulere Patres ?

- LISARIUS - CORDUS L. C.

3 - Centum Pannonios. - Ha, centum. - Plusne ? - Quid inquis ?  
L. C. L. C.

4 - Non tantum ? - Minime. - Dimidiumne ? - Tace.

L. C. L. C.

5 - Forte quadraginta ? - Non. - Trigintave ? - Nec illos.

6 L. - Dignum se tantis quid potuere minus ?

7 C. - Tam malus exspectem tam grandia praemia vates ?

L. C.

8 - Dic age quid ? - Tricae quod meruere meae.

9 Tres laetus cepi, regale numisma, Bohemos.

L. C.

10 - Garris ? - Non certe, magnane dona satis ?

11 L. O in perpetuos huic urbi dedecus annos,  
12 et nulla cessans posteritate pudor.

- 13 C. Immo mihi oblatum est hoc summo munus honore,  
14           nempe per egregios, ceu Jovis arca, viros.
- 15 L. Attulit agrippis ingens pro versibus aurum  
16           pessimus in Clario Choerilus ille choro.
- 17 C. Hoc isto gratis fuit olim tempore Musis,  
18           dum suus his nostris sordibus esset honor.  
19           His modo contemptis nugis prudentior aetas,  
20           vidit quid fulgens utile numus habet.  
21           Quae, praesens ubi res, nil posthuma verba moratur,  
22           candida non cineres nigrave fama movet.

## AD MARTINUM HUNUM GITTELIDANUM.

- E5\_023 v.1 Quas mihi rettulerit dives Gosolaria grates,  
2           pro misso, quaeris, Gittelidane, libro.  
3           Tres ferme cepi Joachimos, grandene munus ?  
4           Quid plus in votis debuit esse meis ?  
5           Dimidio constant quater octo didrachmate versus,  
6           talialia quis pluris carmina stultus emat ?

## AD GOSOLARIAM.

- E5\_024 v.1 Non ingrata meis Gosolaria versibus, ad me  
2           tres mittis latum reddita dona viros.  
3           Quid tanta tamen haec opus est ad munera turba,  
4           quae queat exiguus centupla ferre puer ?

## AD EANDEM.

- E5\_025 v.1 E primore tui choro popelli,  
2           tres nummos mihi tres viri tulerunt,  
3           o quam falsus eram Poeta, quando  
4           fortes te cecini tenere cives.

## AD AMOENUM.

- E5\_026 v.1 Exutis monachos vidi saltare cucullis,  
2           inter convivas nuper, Amoene, lupas.  
3           Nudos dixisses sua reddere sacra Lupercos,  
4           ni quod pro februa mentula pelle fuit.

## IN FURIBACCHUM.

- E5\_027 v.1 Totam te Logicen jactas Physicenque tenere,  
2           sed peream si scis quid logice aut physice.  
3           Crede mihi non sunt istae dialectica nugae,  
4           quas cogis pueros edidicisse tuos.  
5           Sed magis occaecans teneram fuligo juventam  
6           ne rectum studii cernere possit iter.

## DE EODEM.

E5\_028 v.1 Quid fatuum poscis peregrinos vulgus apellas ?  
 2 Sanctus eas partes hic Furibacchus agit.

## AD ATTALUM EPISCOPUM.

E5\_029 v.1 Tam pius et sanctus, tam doctus es, Attale, praesul,  
 2 ut similis fuerit non Petrus ipse tui.  
 3 Immo nec agnifero Baptistae cesseris umquam  
 4 tam dura vitae strenuitate tuae.  
 5 Nullam hic carnem edit, nullo tu vesceris osse,  
 6 hic vinum fugit, tu pie praesul aquam.  
 7 Hic nulla in pluma, nullo tu stramine dormis,  
 8 serica noluit hic, non tibi lana placet.

## AD IOANNEM DRACONEM.

E5\_030 v.1 Romanus postquam petiit Leo tartara pastor,  
 2 glubendas dubitas quis modo captet oves ?  
 3 Quis nisi non aliis aequae atrox unguibus ursus,  
 4 aut aliquis rapido saevior ore Lupus ?

## DE COTTA.

E5\_031 v.1 Nullas exsequias defunctae Cotta parenti  
 2 solvit, ob id sacrum constitit ante forum.  
 3 Institit uncta manus veteres hunc temnere ritus,  
 4 haereticaque piam mente negare stipem.  
 5 Ille suam dudum vectam super aethera matrem  
 6 respondens nihil his dixit egere sacris.  
 7 Hic ridens, quae te cepit vesania, iudex,  
 8 hoc mihi quo verum teste probabis, ait ?  
 9 Tum Latii veniale patris breve monstrat, et inquit,  
 10 sanctane nos umquam fallere Roma potest ?

## IN CENTONES IOANNIS FABRI AD LECTOREM.

E5\_032 v.1 Turgida Leuconicum promittit culcitra, sed tu  
 2 non eme, circensi stramine farta tumet.

## DE COCHLEA.

E5\_033 v.1 Se caeca in speculo, qui nescio, Cochlea vidit,  
 2 estque sibi simili fronte putatus equus.  
 3 Hinc ubi sublato produxit cornua collo,  
 4 se mox aeripedem credidit esse feram.  
 5 Ut conspecta domus lento quam tergore vectat,  
 6 "Sum trux qui castrum fert elephantus", ait.



7 Et dum magnanimo sic grandia pectore spirat,  
8 armigeri praeceps alitis esca perit.

IN AULAM.

E5\_034 v.1 Cum sis femina tam pusilla, miror,  
2 quod magnum vociteris, Aula, scortum.

DE QUODAM EPISCOPO, IN NORICIS COMITIIS.

E5\_035 v.1 Teutonico quotquot prostatis Laides orbe,  
2 et nullum facitis, nudula turba, lucrum.  
3 Quaerite Noriciam festinis cursibus urbem,  
4 donec adhuc celebris regibus ille locus.  
5 Pauper ubi in Christo numerat duo milia praesul,  
6 unius tantum praemia concubitus.

IN EUMDEM EPISCOPUM.

E5\_036 v.1 Heu, quot diebus et quibus laboribus,  
2 a quotque civibus atque rusticis tibi  
3 corrasus est thesaurus iste, quem male,  
4 et nequiter libidinose pontifex  
5 adeo brevi turpique mixta gaudio  
6 profundis, ille num piaie usus est stipis ?

DE SIMIO LUDENTE.

E5\_037 v.1 Praebuit intento nuper spectacula vulgo,  
2 punctato ludens Simius alveolo.  
3 "Quem mediastinus quidam dum cerneret, inquit,  
4 tam vultus hominis bestia nulla refert."  
5 "Cui prope consistens respondit morio, numquid  
6 vidisti nudum perfide tu monachum ?"

DE QUODAM SPONSO.

E5\_038 v.1 Ditem pauper anum juvenis sibi duxit, et ipsam  
2 in socii ut cepit mutua jura tori.  
3 Omnes in geniale viros conclave vocavit,  
4 estque gravi exorsus taliter ore loqui.  
5 "Vos cari affines, vos quotquot adestis amici,  
6 appello testes hac ego nocte meos.  
7 Quod mendax fuerit conjunx, si objecerit olim,  
8 hanc nudis natibus me subiisse domum."  
9 Ac simul has picta redimitas sindone partes,  
10 rejectis pronus vestibus exhibuit.

## AD TRANQUILLUM DALMATAM.

E5\_039 v.1 Jam quater a vetulo surgens Aurora marito,  
 2 aurea sublatis astra fugavit equis.  
 3 Hac nostra postquam cessas novus hospes in urbe,  
 4 et tibi me sanctus scribere jussit amor.  
 5 Et volui, sed te veritae timuere Camenae,  
 6 seque per hos tacite proripuere dies.  
 7 Quantus hic est, nescis, dixerunt, Corde poeta,  
 8 quis velit hunc, etiam doctus, adire virum ?  
 9 Quem tota Italidum comitatur turba sororum,  
 10 cultior et melior voce lyraque chorus.  
 11 Quem, si tam nullo nos viderit ire nitore,  
 12 posse putas risum continuisse suum ?  
 13 Haec et plura diu causatas ire coegi,  
 14 quaeque colis celeri quaerere tecta pede.  
 15 Et, si te vacua post prandia mente viderent,  
 16 ista tibi fari nomine verba meo.  
 17 Si potes indocto conviva assistere Cordo,  
 18 vulgaresque boni consuluisse cibos,  
 19 hoc ad se venias cenatum vespere poscit,  
 20 nil videt Aoniis gratius ille viris.

## IN FURIBACCHUM.

E5\_040 v.1 Pessime nobilium deperditor ingeniorum,  
 2 tam celebris labes hic, Furibacche, scholae.  
 3 Quo tuus usque furor rectas bacchatur in artes,  
 4 quoque doces istas barbarus usque strophas ?  
 5 Has redimet semper nugas tibi tradita pubes,  
 6 et feti partum credet inepta Jovis ?  
 7 Hoc tu pro moscho divendere pergis oletum ?  
 8 Pro tali quae sint stigmata fraude satis ?

## DE SOPHISTIS.

E5\_041 v.1 Rauca sophistarum reticent collegia, quando  
 2 doctrinam Christus dat rutilare suam.  
 3 Namque coaxantes nocturno tempore ranae,  
 4 dum matutinus surgit Apollo, silent.

## IN QUEMDAM FUREM.

E5\_042 v.1 Inimicus esse litteris videre hostis,  
 2 tantum trium te litterarum hominem dixi,  
 3 et infremis, sed his meus favet Ruffus,  
 4 omnes cui dum literas tribuo, ridet.

## DE IUCHO.

E5\_043 v.1 Quando Telesphoriana suae jejunia plebi  
 2 servanda eveheret pastor Iuchus ait :

3 "Haec auctor quondam instituit sollemnia Christus,  
 4 exemproque tenens sancit ipse suo.  
 5 Et nulla his totis est usus carne diebus,  
 6 ni semel, id fratrum suasit avara fames.  
 7 Quorum, eheu, nimio est tunc ille coactus amore,  
 8 Paschales citius quam decet esse dapes.  
 9 Non tamen hoc impune nefas, quia captus eadem  
 10 nocte, trucem subiit luce sequente necem.  
 11 Sic omnes quoque discipuli pro talibus ausis  
 12 ultori poenas inde dedere deo."  
 13 Quid rides tantum summa quem laude magistrum  
 14 Antilutheranus praedicat ordo suum ?

IN IMAGINEM DIVI GEORGII.

E5\_044 v.1 Aspicias aurati fortissima bella Georgi,  
 2 artificem fabre picta referre manum.  
 3 Haec vetus a multis rasorum est fabula saeculis,  
 4 at seram tandem nunc habet illa fidem.  
 5 Quod se trajectae monstrum circumplicat hastae,  
 6 Romulus est, glutit qui modo cuncta, pater.  
 7 Id cataphractus eques fodiens necat ipse Lutherus,  
 8 talia qui supera proelia tentat ope.  
 9 Quae juxta pavitat, Christi est Ecclesia, virgo  
 10 illius in rictum paene vorata feri.  
 11 Omnis io Paeon et io jam turba triumphae  
 12 clamet, hic invicto concidit ense draco.

ERINACEUS AD CORDUM.

E5\_045 v.1 Nescio cui cogor rejectus cedere monstro,  
 2 quo tua nunc mittens carmina, Corde, notas.  
 3 Nulli dedecori tibi eram, licet hispida pellis  
 4 horreat, et teneras pungat acuta manus.  
 5 Tale sagax nobis tegmen natura creavit,  
 6 nullius ut possent ora nocere canis.  
 7 Qui si me patulo ferus insectatur hiatu,  
 8 in tutum subito colligor ipse globum.  
 9 Nil saevos oberit mihi tunc audire latratus,  
 10 artubus est clipeus spinea saeta meis.  
 11 Quod si me nimii lacerant sine fine furores,  
 12 sit mihi fas tensa mittere spicula cute.  
 13 Quod quoque visceribus me rere fovere venenum,  
 14 non nisi supremo fundere crede metu.  
 15 Sed nullis bene nolo feris, nullum infero damnum,  
 16 innocuam praebent scrobsque rubusque domum.  
 17 Huc ego perpetuo rursus me tempore condam,  
 18 quando placet signis simius ille tuis.

CYNOCEPHALUS AD POSTEROS CORDI.

E5\_046 v.1 Quicumque Cordi filius me vel nepos  
 2 vel senior futurus haeres aspicias,

3        meis memor velis moneri symbolis,  
 4        quae te bonas jubent amare litteras,  
 5        auctore dependere jugiter adeo,  
 6        in omnibus bene providum rebus fore,  
 7        fugacis observare lapsum temporis,  
 8        habere communes tuas aures, feram  
 9        compescere iracundiam et loquax labrum,  
 10       tegere pudenda, stare promissis tuis,  
 11       terrena conculcare, quatenus licet  
 12       famelicae mortalitati obsistere.

## AD PACIDIANUM.

E5\_047 v.1        Quis me nobilitarit et haec insignia Caesar  
 2                sanxerit, irridens, Pacidiane, rogas,  
 3        falleris, ut nequeo, sic nobilis esse recuso  
 4                illo, quo credis te tamen esse, modo.  
 5        Nullo collatore venit, virtute parente  
 6                nascitur illustris veraque nobilitas,  
 7        et perimente cadit vitio, nunc aspice quot sint,  
 8                et qui, quos claros efficit illa, viri.

## AD AULICUM QUEMDAM.

E5\_048 v.1        Ad quascumque tuus praesul proficiscitur urbes  
 2                in niveo meretrix concomitatur equo.  
 3        Hunc illi tribui non indigneris honorem,  
 4                debet eo victrix Penthesilea coli.  
 5        Immo triumphali fuerit dignissima curru,  
 6                nam tantum subigit fortior illa patrem.

## AD EUMDEM.

E5\_049 v.1        Non magis inde tui vires mihi praesulis effer,  
 2                quem scortum subigit Penthesilea suum.

## DE STOSSO.

E5\_050 v.1        Non veto poturum, quoties hunc retraho, Stossum  
 2                in magnum timeo, ne cadat ille, scyphum.

## IN QUEMDAM MEDICUM ADULATOREM.

E5\_051 v.1        Parce obsecro quod te meis in litteris  
 2                hypocritam vocaverim, quia nescio  
 3                quonam modo mihi volenti dicere  
 4                Hippocratem, hoc subincidit vocabulum.  
 5                Hunc melius errorem novi mores tui,  
 6                quam quisque culter aut stylus, correxerint.

## AD PORCIUM.

E5\_052 v.1 Ter tibi promisi, volui quoque scribere, Porci,  
 2 ter frustra coeptum penna reliquit opus.  
 3 Scilicet egressae nuper mea limina Musae  
 4 quam dederant secum surripuere lyram.  
 5 Et medicam donans mihi pro fide pyxida Phoebus,  
 6 "Altera nunc, ait, haec munera sume tibi.  
 7 Si crudus stomachus, si languet debile corpus,  
 8 praesentem poscas, non tibi carmen, opem.  
 9 Quam si ferre tibi nequeo, promittere possum,  
 10 hoc medicum facile est quemlibet esse modo."

## DE IDA.

E5\_053 v.1 Tam studet augendis tam sordida et invida rebus,  
 2 auferri pulices ut gemat Ida suos.

## IN BENEFICIA EXPROBRANTEM.

E5\_054 v.1 Quod mihi tres dederis frumenti forte quadrantes,  
 2 et silvae fasces sexve novemve tuae.  
 3 Vis Maecenatem vis Augustumque vocem te,  
 4 ac servatorem praesidiumque meum.  
 5 Ista meus dudum sibi nomina Sturtius ille  
 6 vendicat, in seros dignus habere dies.  
 7 Qui tristes studii percussus amore Camenas  
 8 adjuvat, et larga dat sua dona manu.  
 9 Grande dat argentum doctis, et grande dat aurum,  
 10 atque suo meritos auget honore viros.  
 11 Hunc ego dum vegeto calet istud sanguine pectus,  
 12 ardua, quae meruit, gratus ad astra veham.

## DE MATERNO.

E5\_055 v.1 Quisquis conceptum Mariae celebraverit Abbas,  
 2 perpes in officio permanet ille suo.  
 3 Quid subsannantes me deridetis amici ?  
 4 Forte quod haec, levis ut fabula, verba sonent ?  
 5 Sic docuit plena nuper Maternus in aede,  
 6 creditis hunc tantum dicere vana virum ?

## DE MANNO ET HECTORE.

E5\_056 v.1 Quinquaginta uni juncti duo, Mannus et Hector,  
 2 aequivalent, triplici nec tamen aere merent.

## IN FORES GEORGII STURTII.

E5\_057 v.1 Georgium quicumque Sturtium voles,  
 2 hic pendulum trahe sobrius funem, sed heus,

3 has candidas Libethridum noris fores,  
4 apage nigrum, quisquis venis, hinc hospitem.

## ALIUD.

E5\_058 v.1 Candida musarum, qui pulsas, limina noris,  
2 si niger adventas, hinc procul hospes abi.

## IN PAULUM.

E5\_059 v.1 Haereticum populo traducis, Paule, Lutherum,  
2 et comburendos illius esse libros.  
3 Quos tamen haud umquam te conspexisse fateris,  
4 talia cordati sunt tua verba viri ?  
5 Quam te tota, vide, sic fatum concio ridet,  
6 plusne profana sacro praesule turba sapit ?

## IN QUEMDAM CROCAVIENSEM POETAM.

E5\_060 v.1 Quod tenues Phoebi citharae anteferebat avenas,  
2 non ita vesanum Tmole stupesce Midam.  
3 Pejus iudicium jam Barbara Croca ferebat,  
4 atque adeo quidam, quem tenet illa, Babys.  
5 Ipsos Germanis ausus praeferre Polonos,  
6 auriculas stupidum miror habere suas.

## IN OPUS IOANNIS FABRI.

E5\_061 v.1 En quo pelliceus tollit se cento tumore,  
2 arboreo fartum vellere forte putas.  
3 Erras, fabrili turgens distenditur aura,  
4 qui facili punctus mox residebit acu.

## DE SACERDOTE MILITEM SALUTANTE.

E5\_062 v.1 Pax tibi, sacrificus dixit fera castra sequenti,  
2 ille subindignans ceu male dicta tulit.  
3 Moxque ait, et pereat tibi purgatorius ignis,  
4 qui te, non secus ac me mea bella, fovet.

## AD FABULLUM.

E5\_063 v.1 Si, quae litum quondam tulit sacerdotem,  
2 beata, quod vulgo loquuntur, est alvus,  
3 ter millies tua est beata Priscilla.  
4 Et adhuc novas, Fabulle, nuptias quaeris ?

## DE LOCIS COMMUNIBUS PHILIPPI MELANTHONIS.

E5\_064 v.1 Communes sapidi locos Philippi  
 2 aeterno madidos cedri liquore  
 3 summa quam potes eleganter arte  
 4 mox compinge polique levigaque,  
 5 et picta tege pelle, sericisque  
 6 auratum mihi lingulis adorna.  
 7 Monstranti insuper affabre Minerva,  
 8 albis stipa oneraque margaritis.  
 9 Nam quales liber hic opes recondit,  
 10 tali debet et eminere cultu.

## DE LYCORIDE.

E5\_065 v.1 Se confessa nothum dixit peperisse Lycoris,  
 2 quem natum conjunx crederet esse suum.  
 3 Hac grave lege scelus glaber aufert frater, ut illud  
 4 erranti dicat quomodocumque viro.  
 5 Ut non injustus fuerit quondam ille cohaeres,  
 6 divisae contra fasque piumque rei.  
 7 Illa reversa domum plorantem forte puellum  
 8 repperit, hinc subitos est meditata dolos.  
 9 Innuat astanti larvam simulare marito,  
 10 pelliceum vertit protinus ille suum.  
 11 "Ac malus, inquit, ubi est, hic qui modo vagiit, infans,  
 12 ut mea pertractum, saevus in antra vorem?"  
 13 Tum gremio illa suo pavitantem abscondit et inquit :  
 14 "Hinc apage, non est filius ille tuus."

## DE MEMNONE MILITE.

E5\_066 v.1 Aspicias horrendum distorto Memnona vultu,  
 2 transverso et gladio terribilique sono,  
 3 et sua jactantem stupido magnalia vulgo,  
 4 quam valeat forti corde, potente manu.  
 5 Fanti crede viro, verissima singula narrat :  
 6 ter centum, solus, non timet ille viros.

## DE EODEM.

E5\_067 v.1 Sic cinctus gladio vincet cacodaemona Memnon,  
 2 si verum est visam quod fugit ille crucem.

## AD FABIUM.

E5\_068 v.1 En enixa duos habet Heliadora puellos,  
 2 pulchra Lini conjunx sed tua nata Fabi.  
 3 At nec factus avus, quemquam nec habere nepotem  
 4 diceris, hoc verum qua ratione putem ?

## AD SCHALBUM.

E5\_069 v.1 Quare papicolae calvo sint vertice mystae,  
 2 Aoniis dicam vis tibi, Schalbe, modis ?  
 3 Vidit caeligenam Satanus afflamine Christum,  
 4 verbum discipulis indere forte suis,  
 5 quo post magnanimos illi vicere tyrannos,  
 6 totque retraxerunt e Phlegethonte viros.  
 7 Indoluit, lectosque suos dimisit alumnos,  
 8 qui sererent falsos in pia corda dolos.  
 9 Hos quoque dum diro pronos afflaret hiatu,  
 10 excussit summos halitus ille pilos.  
 11 Tale dehinc haeres testans successio factum,  
 12 illa glabret adhuc impia parte cohors.

## IN QUEMDAM NON SINCERUM.

E5\_070 v.1 Ecce tibi sparsi veniunt per tempora cani,  
 2 incipis in senio candidus esse tuo.

## AD OECOLAMPADIUM.

E5\_071 v.1 Conspicuo doctus verbi splendore coruscas,  
 2 in sacra domini viva lucerna domo.  
 3 Ex hac vel sola, si nullo stemmate, causa  
 4 cognomen possis dignus habere tuum.

## IN IMAGINEM DIVAE APOLLONIAE.

E5\_072 v.1 Si validos fervas, solidasque, ut credere, dentes  
 2 in manibus forceps quid facit iste tuis ?  
 3 Si non fers aliquam, quin hoc utare, salutem,  
 4 tunc eadem quivis numina tonsor habet.

## AD FELICEM.

E5\_073 v.1 Ut divae promissa tuae, vis, munera ponam,  
 2 non volo, cur ? Dentes perdere nolo meos.

## DE IUCHO.

E5\_074 v.1 Dum contionaretur ad populum Iuchus  
 2 incredulos redarguens Lutheranos,  
 3 quod non suorum constituta majorum  
 4 jejunia antiquo tenore servarent :  
 5 "Quo nam ad futurum pascha gaudio, dixit,  
 6 fruemini, quam habebitis voluptatem,  
 7 jam quoque, carne, bis die saturi ventres ?  
 8 Nos qui, probata turba, Romulo patri  
 9 solis fabis, et piscibus, merisque herbis  
 10 nunc vescimur, sacram colemus hanc lucem



11 laeti fideles, et novis cibis, nempe  
 12 solemnibus pernīs, litisque scriblitis,  
 13 aliisque festivae cupediis mensae  
 14 avidi incitatam explebimus stomachi orexin."  
 15 Huic immolatus Pascha numquid est Christus ?

## DE LYCE.

E5\_075 v.1 Tecta, Lyce, tenui redimit sua tempora peplo,  
 2 et plus quam medio vertice nuda coma est.  
 3 Esse quid hoc aliud credam, quam femina quod sit  
 4 inferius, supera virgoque parte, Lyce.

## AD LABRONEM.

E5\_076 v.1 An quis tuam futuat protervus uxorem,  
 2 ignoro, non eam osculatur est certum,  
 3 tam longus incurvusque nasus est illi,  
 4 et tam tibi porrecta labra proturgent,  
 5 ut praeter unum te, Labro, id queat nemo.

## DE RUSTICA PUELLA.

E5\_077 v.1 Rustica conscendit noctu fenile puella,  
 2 hanc sequitur poscens dulcia furta puer.  
 3 Ad quem correpto feni conversa : "Maniplo  
 4 te misere feriam me nisi linquis", ait.

## DIVA APOLLONIA AD POPULUM.

E5\_078 v.1 Computruere mali cunctis cecidereque dentes,  
 2 quotquot adhuc votis me coluere suis.  
 3 Hoc igitur mihi quae finxit vesania numen,  
 4 his ut me medicam ferre putetis opem ?

## DE EADEM AD FELICEM.

E5\_079 v.1 Incepere tui quondam putrescere dentes,  
 2 dentiferae factus cultor es inde Deae.  
 3 Nunc exarmato cum sis edentulus ore,  
 4 quae fuerint divae numina fare tuae ?  
 5 Annua jam poteris festae solemnia lucis  
 6 temnere, nec certas adnumerare preces.  
 7 Nec stata marcescens opus ut jejunia serves,  
 8 nam nihil amplius, haec quod tueatur, habes.

## IN CLEMENTEM.

E5\_080 v.1 Qui te Clementem quondam baptista vocavit,  
 2 indidit Euxinis is quoque nomen aquis.

3 Et simili immites Parcas ratione sorores  
 4 dixit, et Eumenides sub Phlegethonte deas.  
 5 Sic quoque de claro tenebrosum lumine lucum.  
 6 Nil quia te dignum vox ea falsa sonat.  
 7 Quod tamen exiguo faciet correcta labore,  
 8 conjungant primas si duo puncta notas.

AD TYPOGRAPHUM PRO EOBANO HESSO.

E5\_081 v.1 Excudenda mei vis ut monimenta sodalis,  
 2 commendem paucis concelebremque modis.  
 3 Non opus est, auctor titulo si proditur Hessus,  
 4 omnis in hoc vatium nomine fama nitet.

IN AUITUM.

E5\_082 v.1 Romani quoties meminit plebecula patris,  
 2 jactas cum tanto te cubuisse viro.  
 3 Id, velut ingressus sanctorum sancta sacerdos  
 4 tum fueris, laudi ducis Avite tibi.  
 5 Qui tamen hoc magis es pollutus nomine, quam quae  
 6 surgit ab immundo sordida scrofa luto.

DE CABALLO.

E5\_083 v.1 Forte tricenta volens dixit tringenta Caballus,  
 2 et se rhetorico credidit ore loqui.  
 3 Cujus ut a docto monitus vitii esset amico,  
 4 "Hoc quis censorum est tempore finis", ait.  
 5 Ipse quibus nescit Romane dicere Christus :  
 6 "Quis pudor est errans si reprehendar homo ? "

DE EODEM.

E5\_084 v.1 Ditiore hac vivit quam Fuccharus urbe Caballus,  
 2 plures quam poterit dicere condit opes.

IN PICTAM GLORIAM.

E5\_085 v.1 Quae dea ? Virtutis sum filia Gloria. Qui grex  
 2 ille ? Petitores, improba turba, proci.  
 3 Cui nuptura faves ? Omnes fastidio. Quare ?  
 4 Clam quia matre viro nubere nolo mea.  
 5 Quem dabit haec dignum complector grata maritum  
 6 perpetua (fugiat me licet ille) fide.

AD SABURRAM.

E5\_086 v.1 Cum bibulus tota potasset nocte sacerdos,  
 2 dormiit in medio mane Saburra sacro,

3       dumque moneretur, calicem mox prendit, et inquit :  
4       "Hunc tibi, quantus amor, praebibo Leda scyphum".

DE QUODAM FRANCISCANO.

E5\_087 v.1       Funiger ille pater, qui tanto jactat hiatu,  
2               servatae superas virginitatis opes.  
3       Foedo deprensus tauri rivalis in actu,  
4               vix celeri evasit turpia busta fuga,  
5       ad Franciscani confugit asyla cuculli,  
6               sub quo nunc magnus religione vir est.  
7       Cernere non una est homines ratione vocari,  
8               et sua spirantem munera ferre Deum.

DE LABRACE EPISCOPO.

E5\_088 v.1       Quod tribus opletam Labrax bibit haustibus urna,  
2               electus magna praesul in urbe sedet.  
3       Haec una est virtus, qua tanto dignus honore,  
4               prae tot rejectis ducitur ille viris.  
5       Nam Paulina diu cessavit regula, cui qui  
6               congruit, haereticum mox sibi nomen habet.

AD QUEMDAM CIVEM.

E5\_089 v.1       Quaerendas ad opes socors est filius, at si  
2               vis, dicam, mores, mutet ut ille suos.  
3       Qua ratione rogas ? Sacrum mittatur ad unguen,  
4               et nullae cupido divitiae sat erunt.

DE FRONTONE.

E5\_090 v.1       Obtulit Aonio mecum contendere versu,  
2               apparens totam Fronto vorasse Claron.  
3       Assensi, et data mox afflato charta Poetae,  
4               materia est, doctos non amat aula viros.  
5       Non mora, perfectum est facili mihi distichon orsu,  
6               dum meditans ungues exedit ille suos.  
7       Hinc madidum rapiens calamum veniente furore,  
8               quantam habeant primam, doctus et aula rogat.

IN PERTINACEM.

E5\_091 v.1       Paucos ante dies tuos videbam  
2               jam jactae similes nivi capillos,  
3       indum qui modo nigricante lignum,  
4               Idaeasque pices colore vincunt.  
5       Ut qui nauta prius Charon fuisti  
6               atris ipse comis puteris Orcus,  
7       omnem confuge, Pertinax, ad artem,  
8               canos, non senium potes morari.

## DE URSULO PISTORE.

E5\_092 v.1 Magnas et multas pistor locat Ursulus aedes,  
 2 qua, cum nullus ei det bona census, ope ?  
 3 Parvos et paucos vicinis reddere panes,  
 4 quanta etiam fuerit missa farina, solet.

## DE AULO.

E5\_093 v.1 Victorem quidam laudavit forte Lutherum,  
 2 audiit hoc, et atrox taliter Aulus ait :  
 3 "Producta haereticus scriptura certat, et instat,  
 4 hac nos majores condicione sumus.  
 5 Non habet ille alios praeter sua biblia testes,  
 6 sex nos librorum milia proferimus."

## AD GLAUCUM.

E5\_094 v.1 Romanum emisti breve multis, Glauce, selibris,  
 2 tu tamen id parvo stultus habere putas.  
 3 Si sexcenta forent appensi pondo sigilli,  
 4 ipse datum pretium reddere forte velim.

## AD DECIUM ET CLERICUM DE CANE SACERDOTE.

E5\_095 v.1 Annua sollemni dum baptisteria ritu  
 2 ebrius in plena poneret aede Canis,  
 3 et solito vellet de more inflare, pepedit,  
 4 inque sacras vomuit prandia pronus aquas.  
 5 Dic mihi, care Deci, dic, optime Clerice, numquid  
 6 talis se dignum bestia nomen habet ?

## AD LECTOREM.

E5\_096 v.1 Quod numerem digesta libris Epigrammata, ridet,  
 2 et nugas tanti non ais esse meas.  
 3 Vendentes numerant pira, poma, nucesque propolae  
 4 vilia plus illis carmina nostra putas ?

## DE BATRACHO FRANCISCANO.

E5\_097 v.1 Nuper ad Elysios migravit Batrachus hortos,  
 2 quem vivum fratres occuluere sui.  
 3 Hunc pater ut vidit, stupuit Franciscus, et inquit :  
 4 "Exstat adhuc sectae funiger ordo meae ?"  
 5 "Tam plenus nostri est, respondit Batrachus, orbis,  
 6 ut plures habeat nullus Hymettus apes  
 7 cur igitur post multa unum te saecula cerno ?"  
 8 "Insignis quino stigmatem, divus ait

9 tunc ille, hoc inter tot amicta examina cultu,  
 10 solus ego in Christum credula corda tuli.  
 11 Cetera Romanum veneratur turba Bahalem,  
 12 illud ubi renui, me necuere, scelus."

## AD FRANCISCUM FABRUM.

E5\_098 v.1 Lecta tua est nobis, divine, Bohemia, vates,  
 2 et quod ad Aurbacchum concomitatur opus.  
 3 Hei, quantum e sacris traxisti fontibus haustum,  
 4 quam plenum dexter pectus Apollo dedit.  
 5 O stupidos homines, o barbara tempora, quae non  
 6 talibus ingeniis muneribusque favent.  
 7 Fausta sub Augusto si te Lucina dedisset,  
 8 proximus a primo crede poeta fores.

## DE QUODAM TUBICINE.

E5\_099 v.1 Ad clausam sera Tubicen sub nocte tabernam  
 2 venit, et in solo tecta rogavit agro.  
 3 Quem repulit plenos causata marita grabatos,  
 4 quid faceret ? Longum nix nova sparsit iter.  
 5 Proxima pistrini domus adstitit, hac quoque luce  
 6 extracto tepidus pane ibi furnus erat.  
 7 Huc miser exserto tacitum se condidit ore,  
 8 et pernox aegre pertulit hospitium.  
 9 Huc pactam monachus perduxit forte puellam,  
 10 culceque, depositis vestibibus, egit opus.  
 11 Tum vigil obscuro mox hospes coepit ab antro,  
 12 inflata ad numeros increpitare tuba.  
 13 Territus aufugit pater, et sua pallia liquit,  
 14 hinc factam tubicen nunc gerit ille togam.

## DE PATRIA SUA.

E5\_100 v.1 Francobergiaca Marpurgum forsitan ab urbe,  
 2 jam medium faciens, siste viator iter.  
 3 Sparsaque sub dextro magalia respice monte,  
 4 quae gelidis parvus Bestava lambit aquis.  
 5 Appellat veteris Simesusas nomine pagi,  
 6 proxima qui circum rura colonus arat.  
 7 Hic humiles, fateor, sed inanes labe parentes  
 8 in senio Cordum me genuere suo.  
 9 Hic quadrupes repsi puer, haec per prata cucurri,  
 10 et teneros egi per duo lustra dies.  
 11 Non procul uberibus fons ultra profluit undis,  
 12 ad quem post Clariae me rapuere deae,  
 13 et sua sublimem faciles in sacra tulerunt,  
 14 unde novus levibus ludo poeta modis.  
 15 Est quo jam celebris toti patet Hessia mundo,  
 16 sat mihi si patriam noverit illa meam.

## EURICII CORDI EPIGRAMMATUM LIBER SEXTUS.

## AD GEORGIUM STURTIUM.

E6\_001 v.1 Care vale Sturti, dulcesque valete sodales,  
 2 totaque Gericolae musica turba scholae.  
 3 Hinc ego Saxoniam migrans proficiscor ad urbem,  
 4 quam rigat Hercyniis perfluus Occar aquis.  
 5 Incluta magna nimis Ducibus quae nomina praebet,  
 6 Qui fera nunc isto bella sub axe gerunt.  
 7 Det melius fautrix mihi ibi Rhamnusia fatum,  
 8 quam simili claris hactenus arte viris,  
 9 falsaque dicatis vani praesagia vates,  
 10 immo meo tandem dives honore colar.

## IN STATUAM DIVI CHRISTOPHORI.

E6\_002 v.1 Quem fers alte Gigas ? Torquentem sidera Christum,  
 2 quo nam ? Qua dignos se videt ille viros.  
 3 Hac ergo quid ab urbe fugis ? Mala turba coegit.  
 4 Quae ? Sub hypocriticis vestibibus uncta cohors.  
 5 Hos ego praecipua sanctos pietate putavi,  
 6 non magis est expers religione genus.  
 7 Nonne colunt pleno quem jactant semper in ore ?  
 8 Non, sed regnantem Romula in urbe Bahal.  
 9 Cur ? Quia tranquillae pigra confert otia vitae.  
 10 Quae dabit aeternus, sunt potiora Deus.  
 11 Plus rata venturis illi praesentia curant.  
 12 Hanc habet in superos istane secta fidem ?  
 13 Non aliam. Tamen haereticum damnare Lutherum,  
 14 non dubitant ? Pius hoc nunc homo nomen habet.  
 15 Vera putas igitur quod sit doctrina ? Profecto,  
 16 ipsa dei magnus verba propheta docet  
 17 cui dociles adhibe, tibi consulo, credulus aures.  
 18 Hosque Epicureo de grege linque sues.

## DE QUODAM SAXONE.

E6\_003 v.1 In contione quidam ut audiit Saxo,  
 2 futura quondam verba iudicis Christi :  
 3 Ego esurivi et vos cibum negavistis,  
 4 sitii et nihil dedistis ut biberem, dixit,  
 5 veni ad meas aedes, et unico verbo  
 6 te prode, sat tibi superque depromam,  
 7 anniculum petasonem, et integrum ventrem,  
 8 Danique suffitas ad haec bovis carnes,

9 et optimo te liberaliter zytho,  
 10 donec vomas inebriatus, opplebo.  
 11 Qui honestius <te>, qui te suavius tractem ? (vers lacuneux)

## IN ASSEM BUDAEI.

E6\_004 v.1 Quod liceat multis unus centussibus assis,  
 2 non ideo frontem sic caperato tuam.  
 3 Tam valet, ut, si mille etiam sestertia solvas,  
 4 non habeat pretium carior ille suum.

## DE ANTICRATE.

E6\_005 v.1 Unicus Anticrati vacuo dens haesit in ore,  
 2 molli luxatus qui modo pulte cadit.  
 3 At constringentem gingivas ille farinam  
 4 vendit, et hac magnas merce coegit opes.  
 5 Sic non falsa patet docti sententia Plini,  
 6 mendaces medicos plus rude vulgus amat.

## IN CLAVES PAPAE.

E6\_006 v.1 Ecce duas claves Romani insignia Patris,  
 2 vis cujusnam sint symbola scire rei ?  
 3 Haec aperit Stygium, claudit caeli altera limen,  
 4 his illuse diu Teutone quando sapis ?

## AD BLANDICIANUM.

E6\_007 v.1 Quando videbaris, quem docto provehis ore,  
 2 dictanti Christum credere mente deum.  
 3 Nostra ter adscriptum dixit tibi littera "Salve",  
 4 et mihi dilecti tunc vice patris eras.  
 5 Nunc ubi Romanis blandiris hypocrita larvis,  
 6 accipe perpetuum, Blandiciane, "Vale".

## IN SPONGIAM ERASMI.

E6\_008 v.1 Qualis, Erasme, tua est haec Spongia, qua modo cum te  
 2 abstergis, non ut, candidus, ante nites ?  
 3 Immo per abstersos livorem contrahis artus,  
 4 ut minor indecori gratia deinde tibi.  
 5 Aspersione satius fuerit, puto, labe notari,  
 6 quam tali te sic emaculasse modo.

## IN EANDEM.

E6\_009 v.1 Appellata meo domino sum Spongia, verum  
 2 lectori populo tetrica spina vocor.  
 3 Ut cujus dura confessus cuspede nuper,

4 concidit Hutteno stemmate clarus eques.

IN HECTOREM QUI NOBILITATEM EMIT.

E6\_010 v.1 Raptor es, et pотор, superum contemptor et aequi,  
2 usuraque tuas congeris, Hector, opes.  
3 Scortaris, dirum male dicis, et omnia juras  
4 per sacra, prae fractus terribilisque tumes.  
5 Gallica praeterea te vexat psora, quid ergo est  
6 quod non nobilibus connumerere viris ?

AD SIMPLICIANUM.

E6\_011 v.1 Caeca quod urinas discernat femina, credis,  
2 te prorsus stupidum, Simplificiane, puto.

DE QUADAM PUELLA CONFITENTE.

E6\_012 v.1 Funigero peccata fatens virguncula fratri,  
2 cum trepido coepit pauca timore loqui.  
3 At mox in mediis reticens sermonibus haesit,  
4 quam sic exhortans sanctulus ille monet.  
5 "Dic, age, ne pudeat, quicquid mea filia nosti,  
6 omne licet tuto nunc aperire scelus."  
7 Tunc ait : "Hesterno vestrum sub vespere patrem,  
8 cum domina vidi concubuisse mea."  
9 Hic tetrico indignans : "Veh, dixit hypocrita, vultu,  
10 talia de casta virgine verba tace."  
11 Divus ab excelso fuit hic Franciscus Olympo,  
12 cujus sub nostris est soror illa togis.  
13 Is solet (intenta quoties nos mente precamur)  
14 consolans servis numen adesse suis,  
15 quisquis erat, tum virgo, suum femorale reliquit,  
16 hac num fas divos credere veste tegi ?  
17 "Est, ait ille, cave digitis ne forte profanis  
18 id temeres, sanctae sunt quia relliquiae.  
19 Quas in nostra pio cras templa feremus honore,  
20 has sterilis, dum vult gignere, turba colit."

DE SACRO QUODAM JUDICE.

E6\_013 v.1 Sacrum citati ad iudicem sacerdotes  
2 certam dabant pro scortulis suis multam,  
3 quos inter ut quidam senex diu nullam  
4 se concubinam habuisse diceret, indignans  
5 iudex ait : "Si non habes, tibi procura,  
6 non est suis fraudandus aureis praesul."

IN DIATRIBEN ERASMI. HUMANA VOLUNTAS LOQUITUR.

E6\_014 v.1 Quid me magne manu nequiquam mittis, Erasme ?



2 Sum domini, nescis ? Non tua, serva Dei.  
 3 Qui, scio, perpetuam quod me sibi vendicet, et tu  
 4 convictus plagii percutiare reus.

## AD CIVES.

E6\_015 v.1 Squamigerum pavit Babylonia turba draconem,  
 2 et sibi praesentem credidit esse Deum.  
 3 Cui post dirupto letalis pulte moreti,  
 4 interpres regis fata propheta tulit.  
 5 Romana tamen is tandem redivivus in urbe,  
 6 exhaustit cunctas totius orbis opes.  
 7 Sed quem fulmineo nunc vindex ense Lutherus,  
 8 sub Stygias iterum praecipitavit aquas.  
 9 Hac graviter pressam qui terram peste repurgat,  
 10 infami dignum dicitis esse rogo ?  
 11 Quae vos impietas, quae vos insania cogit,  
 12 tam bene promerito tam male velle viro ?

## DE QUODAM FRANCISCANO.

E6\_016 v.1 Exuit accitas contemplaturque puellas,  
 2 hic quidam cingens ilia fune pater.  
 3 Non novus ut studeat Junonem pingere Zeuxis,  
 4 gentilem sanctus non colit ille deam.  
 5 Contemplativae, quam fert se ducere, vitae  
 6 magnus, ut hoc faciat, suspicor, urget amor.

## IN EXEQUIALES MISSARIOS.

E6\_017 v.1 En iterum indutus lugubri veste sacerdos,  
 2 Octobres celebrat manibus exsequias.  
 3 Aeternam requiem resonant sacra templa, micantque  
 4 ceratae circum nigra feretra faces  
 5 fert pia lucentes varium plebs munus ad aras,  
 6 et quas quisque potest dat miseratus opes  
 7 argentum, panes, vinum, farcimina, pernas,  
 8 quae mox lascivae sunt alimenta gulae.  
 9 O plus quam stupidam sine corde et lumine turbam,  
 10 cui non Belis adhuc prodita crypta patet.

## IN ARCEM SIFRIDII DEBENII.

E6\_018 v.1 Hanc Charites, Genius, Venus, et Tritonia sedem,  
 2 et placidus posita Mars feritate colunt.  
 3 Scilicet hos omnes uno tibi corpore praestat,  
 4 Debenia clarus gente Sifridus eques.  
 5 His qui numinibus dignus conviva videris,  
 6 hospes ades noster, cetera turba vale.

## ALIUD IN EANDEM.

E6\_019 v.1 Visa foris stupidus miraris moenia, quid si  
 2 ornatus videas interiora mei.  
 3 Et magis his omni morum et virtutis honore  
 4 cultum conveniens experiaris Herum ?  
 5 Nullius Alcinoi similes contenderis aedes,  
 6 et renuas si te Juppiter ipse vocet.

## ALIUD IN EANDEM.

E6\_020 v.1 Heus, quisquis hac iter viator intendis,  
 2 subsiste, dum brevi morabor affatu.  
 3 Equidem Sifridum a Deben arbitror nosti,  
 4 suae perenne nomen et decus gentis,  
 5 in militaribus inclutum virum rebus,  
 6 adeoque cunctarum integro orbe virtutum  
 7 mire absolutum, comiumque festiva  
 8 morum suavitate praeditum heroa ?  
 9 Is hanc gravi pulcherrimam domum sumptu  
 10 sibi suisque heredibus posuit primum,  
 11 deinde laetis candidisque convivis.  
 12 Quicumque talis hospes advenis intra,  
 13 similem tui gratissimus dominum offendes.  
 14 Cui factus adsector suam Jovi mensam  
 15 sines, propinantemque negliges Heben.  
 16 Illud volebam, nunc ubi voles perge.

## AD QUEMDAM EUANGELII PERSECUTOREM.

E6\_021 v.1 Dum prohibes ortum populo illucescere Christum,  
 2 atque piis quaeris damna necemque viris.  
 3 Ut subito illapsi percussus fulminis ictu,  
 4 amittas oculos, saepius oro, tuos.  
 5 Sic tamen ut quondam committens talia Paulus,  
 6 ut vera, velut hic, erudiare fide.  
 7 At suus hunc patria zelus prolege repurgat,  
 8 tu furis ut salvas contuearis opes.

## AD ERASMUM.

E6\_022 v.1 Qui tam doctus, Erasme, et eruditus,  
 2 tam sollers, sapiens, catus, disertus,  
 3 praesenti omnia iudicas Minerva,  
 4 et certa Tenedi secas bipenni,  
 5 tam te desipere haud puto atque falli,  
 6 ut non, quod modo desinente nocte  
 7 omnis femina, vir, puer, puella  
 8 novit, Romuleum scias tyrannum  
 9 esse ipsum Satanam et Antichristum.  
 10 Quare, si bonus, integer, fidelis  
 11 vis dici, et simul esse Christianus,  
 12 non istis nebulonibus cohaere,

13       injustam neque contuere causam,  
 14       venali eloquio, quod ipse Christus,  
 15       ut sancto populo patrocineris,  
 16       tam largo tibi dat benignus imbre.  
 17       Te major licet, eloquentiorque  
 18       orator fueris, vel alter ille  
 19       forti traxeris Ogmius catena  
 20       omnes, quas tua lingua mulcet, aures,  
 21       persuadere nequis, quod hi Nerones  
 22       sint Ecclesia, quae sit audienda,  
 23       dum per fasque nefasque mille technas  
 24       commentantur, ut omne ubique regnum  
 25       sub vires subigant suas, et ipsum  
 26       sic evangelium docent coluntque,  
 27       optatum faciant ut inde quaestum,  
 28       lucrosasque negotiationes.  
 29       Et quoscumque pie vident fideles  
 30       insanis odiis, fero furore,  
 31       condemnant, abigunt, necant, trucidant.  
 32       Tandem lucida veritas patescit,  
 33       cui nullus Balaham potest nocere,  
 34       ter centum licet id velint Balachi.

## AD EOBANUM HESSUM.

E6\_023 v.1       Quo me respiciat, quaeris, Rhamnusia vultu,  
           2       quoque suae positum volvat in orbe rotae.  
           3       Integer est annus, bona dum me fama levavit,  
           4       nec me quis medica clarior arte fuit.  
           5       Exhibuit dignum cedens mihi consul honorem,  
           6       et mea non parvo res fuit aucta lucro.  
           7       Donec rasa cohors sacrae ad solemnia cenae,  
           8       confessi populi credula corda tulit.  
           9       Haeretici me discipulum mentita Lutheri  
 10       perversa nullum credere mente deum.  
 11       Hinc ego carnivorus nebulo, malefidus Iudas  
 12       despuor, infesti femina virque mihi.  
 13       Ac omni refugit me plebs cane pejus et angue,  
 14       et media tutam vix sinit urbe viam.

## IN COMMISSARIUM.

E6\_024 v.1       Diceris hac, sed non bene, commissarius urbe,  
           2       verum, prima sit ad syllaba, nomen erit.

## IN QUEMDAM, QUI SE NOBILEM FINXIT.

E6\_025 v.1       Si de tam claro, quod jactas, sanguine prodis,  
           2       quid faciem foedat lurida lepra tuam ?  
           3       Multaque per scabrum phagedaena est psoraque corpus,  
           4       obscuri certae sanguinis illa notae.

## IN EUMDEM.

E6\_026 v.1 Haec quae nobilitas tua ? Tot conviximus annis,  
 2 et de qua genitus nescio stirpe venis.  
 3 Nec te de claro scivissem stemmate, ni tu  
 4 dixisses, gentis nomina fare tuae.

## IN INIMICUM.

E6\_027 v.1 Quid, quod, commissus mihi dum conviva recumbis,  
 2 me clausis nivens intueare genis ?  
 3 Forte nigrae tenebris quia caligantia mentis,  
 4 candorem nequeunt lumina ferre meum ?

## DE FESTO DIE DIVI FRANCISCI.

E6\_028 v.1 Annua stigmatici, video, solemnia Divi  
 2 concelebrat festis aemula turba sacris.  
 3 Nunc tibi de sancta cedendum sede, tuique  
 4 linquendum patris est, optime Christe, latus.  
 5 Nam te majus habens hodie ille cucullio numen,  
 6 noster apud superos conciliator erit.  
 7 Imo divini titulo decoratus honoris,  
 8 ipsemet accipiet vota precesque deus.  
 9 Vae nunc haeretico cum complice plebe Lutheri,  
 10 quos feriens hujus Vejovis ira teret.

## AD ALDUM.

E6\_029 v.1 Nos fers haereticae favere sectae,  
 2 et sacris operarier diebus  
 3 contra Romulei statuta patris.  
 4 Mentitur mala fama, feriamur,  
 5 namque ex omnibus his, quot ipsa sanxit  
 6 consuetudo et ephemeris notavit,  
 7 nullum praeterit hac in urbe festum,  
 8 quin cessemus et otiemur, imo  
 9 ludamus simul et simul bibamus.  
 10 Quare tam gravis hinc cave reatus  
 11 nos falsa insimules opinione.  
 12 Romani sumus Alde Christiani.

## DE MONACHIS HISTORIA.

E6\_030 v.1 Sex una monachi dum consedere latrina  
 2 coepere aerumnas commemorare suas.  
 3 Quod mala ridenti facti essent fabula mundo,  
 4 nullus et ipsorum religionis honor.  
 5 Quos solans pater : "O cari, inquit, fidite fratres,  
 6 vivit adhuc ultor, qui videt illa, deus.  
 7 Ille suos ex hoc nos tandem stercore servos  
 8 tollet, et haereticos merget in ima viros."

9 His dictis subito subitus tabulata fragore,  
 10 atque simul putres increpuere trabes.  
 11 Subsidentem trahit miseram structura ruinam,  
 12 et liquidis foribus obruta turba natat.

## AD VULGUS.

E6\_031 v.1 Quid fatuum trepidas jungi tot sidera vulgus,  
 2 Deucalioneas quae minitantur aquas ?  
 3 Illius auctores qui nam rumoris habentur ?  
 4 Scrutantes caelum dicis et astra Sophi.  
 5 Quis furor est mendaci homini falsisque libellis,  
 6 plus quam veridico credere velle deo ?  
 7 Illius aeternum non vis admittere verbum,  
 8 talia sed facili somnia mente rapis.

## AD CLEMENTEM PAPAM.

E6\_032 v.1 Sancte, tuum quidam dum nomen Papa videret,  
 2 pro Clemens demens legit ineptus homo.  
 3 Non ita magnus is est error, si consona vita  
 4 illud, ut est similis littera voxque, refert.

## DE LATRINA FRANCISCANORUM.

E6\_033 v.1 Si quis Daedalea faber bipenni  
 2 sculptor Praxitelesque Phidiasque  
 3 vis artis specimen tuae exhibere,  
 4 ingentemque tibi referre summam.  
 5 Festino propera advolaque cursu  
 6 huc ad funigeros cuculliones,  
 7 qui magnis modo sumptibus volentes  
 8 instaurare novam sibi latrinam,  
 9 nullos esse queruntur architectos  
 10 qui digno fabricam struant paratu.

## IN ILLITERATUM OBLOCUTOREM.

E6\_034 v.1 Quod nemo me, nisi litterati pauculi,  
 2 probet, objicis, turpem velut famae notam.  
 3 Sed, stulte, nescis summa quod sit ista laus,  
 4 si quis probatis approbetur a viris.  
 5 Perge ergo quantumvis mihi invisio obloqui,  
 6 non est bonus quem tu et tui similes amant.

## AD UXOREM.

E6\_035 v.1 Nulla tibi ad gelidam quereris fore pabula brumam,  
 2 et nimia vitulam tabe macere tuam.  
 3 Ad Benedictini vicina bovia claustrum  
 4 mitte, et mox paucis vacca diebus erit.

## DE DORCADE.

E6\_036 v.1 Serica promisit sterilis mihi munera Dorcas,  
 2 si clausos facerem gignere posse locos.  
 3 Curavi, peperit, promissas exigo vestes,  
 4 illa meam ridens inficiatur opem.  
 5 Seque sacratarum per plurima vota sororum,  
 6 et juges gravidam fert peperisse preces.  
 7 Fecundans procul hinc omnis medicina facessat,  
 8 hoc monachae possunt si dare membra modo.  
 9 Jam nihil inventos apud has in stercore foetus  
 10 suspicor, a divis hos petiere suis.

## IN HANNONEM PISTOREM.

E6\_037 v.1 Muneris, Hanno, tui vetitam cur suspicer usum ?  
 2 Quae commisisti crimina, quodve scelus ?  
 3 Tam crassis manibus tam parvos fingere panes  
 4 qui potes, insignem te reor arte virum.

## AD EOANUM HESSUM.

E6\_038 v.1 Audio Noricium te, dulcis amice, senatum  
 2 in sua non parva tecta vocasse stipe.  
 3 Felices utrimque viri, tu cui licet inter  
 4 cordatos homines vivere et esse pio.  
 5 Illi, qui summum, quem fert Germania, Vatem  
 6 se penes aeterna non sine laude fovent.  
 7 Interea, ingenuo quod Christum corde fatetur,  
 8 hic miserum Cordum frigida saxa terunt.

## IN ALCIMUM CIRCULATOREM.

E6\_039 v.1 Quod mille hydropicos uno curaveris anno  
 2 dicis, et id credit stulta corona tibi.  
 3 Si verum est, alter fieri potes, Alcime, Cosmas,  
 4 ut qui gratuitus sis inopum medicus,  
 5 nam quod ab his nullum tu ceperis omnibus aurum,  
 6 testatur lacerae plurima rima togae.

## IN EUMDEM.

E6\_040 v.1 Quemvis in triduo promittis pellere morbum,  
 2 forte quod hinc quarto vis properare die.

## AD SACERDOTES.

E6\_041 v.1 En iterum hoc anno submersa Erffordia sidit,  
 2 sub Stygium (sic fers impia turba) chaos.

3 Et, qua tanta prius fuit urbs, mera sulfura fumant,  
 4 et picea surgens nube mephitis olet.  
 5 Hinc ille est toto qui jam vapor halat in orbe,  
 6 et ferrugineos solis obumbrat equos.  
 7 Scilicet hanc mala plebs foedo pro crimine poenam,  
 8 haereticum quod sit dogma secuta, dedit.  
 9 Omnia quae fingi possunt mendacia fertis,  
 10 ut verus Christi conticeatur honor.

## AD LAVARDUM.

E6\_042 v.1 Tam manifesta queunt numquam mendacia dici,  
 2 quin hic qui credunt talia semper erunt.  
 3 Invisum contra dum sint modo ficta Lutherum,  
 4 et, ne sancta fides hac micet urbe, juvent.  
 5 Omnia seria sunt, est unus, fabula Christus.  
 6 Hunc hodie profitens cras abiture vale.

## IN CONTIONATOREM.

E6\_043 v.1 Num nova fingis adhuc stultae miracula plebi  
 2 sermocinator impudens.  
 3 Hoc cum te toties falsi convicerit anno  
 4 secus docens tandem fides.  
 5 Non durable, quod firmant mendacia, regnum est,  
 6 fictaeque fabulae struunt.  
 7 Quae quia jam toto, sic vult Deus, orbe patescunt,  
 8 micansque lucet veritas,  
 9 vana superstitio cadit, et fanaticus error,  
 10 et mentiens hypocrisis.  
 11 Parce leves igitur nequiquam perdere voces,  
 12 scimus rapaces vos lupos.

## AD CAPELLAM.

E6\_044 v.1 Unde sit ille rogas jam toto fumus in orbe,  
 2 qui rutilos tingit sanguine solis equos ?  
 3 Scis quem lustralem Pater urbis struxerit ignem,  
 4 quoque pios manes usserit ille foco.  
 5 Hic modo divini restinctus flumine fontis  
 6 fumat, et hinc implens cuncta mephitis olet.

## AD PAPAM DE DIVO BENNONE.

E6\_045 v.1 Factus ut incoleret caeli consortia divus  
 2 sex fisco est pactus Benno talenta tibi.  
 3 Nunc tria cum dederit, sed adhuc tria debeat ille,  
 4 quem medium faveas dic mihi Papa locum ?

## DE DIVO BENNONE.

E6\_046 v.1 Cum divus celebri Benno effoderetur in aede,  
 2 inventae pueri sunt nisi relliquiae.  
 3 Quid rides ? Superum nulli dat Christus Olympum,  
 4 ni fuerit factus parvulus ante puer.

## DIVUS BENNO AD EMSERUM.

E6\_047 v.1 Saeve quid in sanctum ferves, Emsere, Lutherum,  
 2 quid vomis infami dira venena libro ?  
 3 Nulla est impietas, nulla est blasphemia crede,  
 4 stultitiae fatuos admonuisse suae.  
 5 In sua lucra novum qui me fecere Bahalem,  
 6 et quasi divino numen honore colunt.  
 7 Me, quod scis, homines hominem genuere parentes,  
 8 qualia sunt vobis membra, fuere mihi.  
 9 Ergo suo cura reddantur ut ossa sepulchro,  
 10 meque mea liceat posse quiete frui.  
 11 Et tu tabificum tandem de pectore virus  
 12 pone, nec heroas livide perde tuos.

## AD CALUUM.

E6\_048 v.1 Maxima Bennonis populo miracula narras,  
 2 ut modo tot sanos fecerit ille viros.  
 3 Si non falsa, quod es solitus, mendacia dicis,  
 4 tunc quoque te Misnae Calve fuisse velim.

## DIVUS BENNO AD AEOLUM.

E6\_049 v.1 Ut claudos reparem tibi me petis, Aeole, gressus,  
 2 in manibus non est id dare posse meis.  
 3 Ipse, vides, expers nervis ac putida tabes,  
 4 exanimes quo quam non queo ferre pedes.  
 5 Quin empta multis ope milibus, hanc modo sedem  
 6 conscendi, et numen tu venerare meum ?  
 7 Salvificum potius sapiens pete, consulo, Christum,  
 8 quis furor est tantum me coluisse deum ?

## AD AEOLUM.

E6\_050 v.1 Stulte, tuos ut Benno pedes petis, Aeole, curet,  
 2 immo pete insanum curet ut ille caput.

## DIVUS BENNO.

E6\_051 v.1 Aeternam requiem qui dem tibi ? Quam queror ipse,  
 2 non istos inter Stentoras esse mihi.  
 3 Qui me continuo miserum clamore fatigant  
 4 ut resonans fuerit gratior Aetna domus.



## IDEM AD POPULUM.

E6\_052 v.1 Quisquis ades signis et nutu fare precator,  
 2 nequiquam voces audio, crede, tuas.  
 3 Jugibus obtusae surdent clamoribus aures,  
 4 hac mihi quos multus Stentor in aede sonat.  
 5 Esto quod audierim, tua sunt tamen irrita vota,  
 6 quae mihi das unus numina Christus habet.

## AD GALLUM MEDICUM.

E6\_053 v.1 Te quoque, quod dixi tibi praescius ante prophetes,  
 2 despiciunt domini rejiciuntque tui.  
 3 Id magis hoc miror, quod verbi maximus hostis,  
 4 et perromanans antilutherus eras.

## EPITAPHIUM DUCIS FRIDERICHI.

E6\_054 v.1 Electus, sed qui renuit diademata, Caesar  
 2 hac pius ille cubat Dux Friderichus humo.  
 3 Omnibus insignis virtutum laudibus heros,  
 4 excellens aevi fama decusque sui.  
 5 Credula quo Christum Germania Principe cepit,  
 6 quamque diu pressit pessima Roma fidem.

## ALIUD.

E6\_055 v.1 Hic situs ille pater patriae clarissimus heros,  
 2 incluta Saxonici laus Friderichus agri.  
 3 Aspicias aeratum, vulgare toreuma, sepulchrum,  
 4 invitus tamen hoc accipit ille decus.  
 5 Quod si pro merito digne tegetetur honore,  
 6 aurea et ex gemmis lucida tumba foret.  
 7 Tranquillam retulit sic vita, ut nomine, pacem.  
 8 Qua nullus melior laude triumphus erit.

## DUX IDEM AD CIVES SUOS.

E6\_056 v.1 Tandem flere tuum pia me plebs desine patrem,  
 2 et noli, quod sis orba relictas, queri.  
 3 Ecce mei similis post me te suscipit haeres,  
 4 aequali dignus frater honore coli.  
 5 Nobile cui sua dat, ceu pax mihi, gratia nomen,  
 6 post hunc qui referat dulcis utrumque nepos.

## IN ICONA DUCIS IOANNIS.

E6\_057 v.1 Stulte quid alloqueris, responsa quid expetis hospes,  
 2 supplice quid frustra me venerare genu ?

3 Mortua sum, quem tu me rere, illius imago,  
4 egregium Lucae, sed properantis, opus.

AD DUCEM IOAN. FRIDERICUM.

E6\_058 v.1 Nobile mixta cui dat pax et gratia nomen,  
2 civibus invisus qui potes esse tuis ?

AD TYPOGRAPHUM.

E6\_059 v.1 Nullus in edendis modus est finisque libellis,  
2 usque novis aliis omnia plena scatent.  
3 Ut non tot cerasis veniens Quintilis abundet,  
4 plura nec Augustus sub cane pruna ferat.  
5 Nec tot in apricis erucas frondibus umquam,  
6 aut Maio vermes videris ire solo.  
7 Si quotus est lector, tam multus debet et auctor  
8 esse, suum scribens dat quoque Cordus opus.

DE ARRIA.

E6\_060 v.1 Consessura Cadum semper petit Arria, quare ?  
2 Nequitias lapidi vult numerare suas.

DE MONACHO MEDICO.

E6\_061 v.1 Heredem Monachum caelebs Antonia scripsit,  
2 a quo nunc medicam languida poscit opem.  
3 Quae vestra in sanctum est haec diffidentia patrem ?  
4 Non sinet hac illam, credite, febre mori.

AD HUNUM.

E6\_062 v.1 Venerat huc quidam vicina pulsus ab urbe,  
2 ob certum facinus nescio quis rabula.  
3 Quem postquam comitans profugum torqueret egestas,  
4 qua rabidum pellat cogitat arte malum.  
5 Forte jacet posito lacer hic herbarius orbe,  
6 quem legit et medicam mox profitetur opem.  
7 Illico ceu fatuae viso bubone volucres,  
8 stipat honoratum maxima turba virum.  
9 Missa ferunt passim vetulae urinalia sagae,  
10 et novus it magnum rumor adesse sophum.  
11 Quid juvat externa peregre regione vagari,  
12 totque annos variis invigilare libris ?  
13 Huc ades, et paucis quod vis potes esse diebus,  
14 magniloqua tantum grandia voce tona.

## AD APHRUM.

E6\_063 v.1 Hos peccare putas, qui tam sua corpora curant,  
 2 ut medica servent et tueantur ope.  
 3 At te continua sic ebrietate gulaque  
 4 dum perdis, sanctum quod facis Apher opus ?

## DE LIBRIS EMSERI.

E6\_064 v.1 Exceptura novas Emseri charta lituras,  
 2 quo potuit tales extulit ore sonos.  
 3 In quamcumque libet potius deferte cloacam,  
 4 ne merdis temeret me caper ille suis.

## AD HACUM.

E6\_065 v.1 Quod nihil Emserus quod recto consonat edit,  
 2 sed nisi quae furiunt frivola scripta, stupes.  
 3 Sic agitans hominem livorque podagraque cogit,  
 4 et simul instructrix edocet impietas.

## DE LUCIA.

E6\_066 v.1 Tabida semestrem mactavit Lucia porcum,  
 2 quem pavit tantum stercore parca suo.  
 3 Tres habet haec eadem gallinas, nullus et illis,  
 4 praeter quae tussit livida sputa, cibus.  
 5 Sive igitur lardo seu lucia vescitur ovis,  
 6 sese edit, et macies unde sit illa, rogat ?

## AD COPPUM.

E6\_067 v.1 Displicet Emsero meus audio, Coppe, libellus,  
 2 nunc scio quod docto cuique bonoque placet.

## DE EMSERO.

E6\_068 v.1 Aggressa Emserum vehemente podagra dolore,  
 2 fatalem voluit claudere forte diem,  
 3 id cernens livor non recto lumine dixit,  
 4 nil agis, a telis concidet ille meis.

## IN IMAGINEM EIUSDEM.

E6\_069 v.1 Errans livorem credit me forte viator,  
 2 vera sed Emseri sum senis effigies.

## AD HEINRICHUM EUERBINUM.

E6\_070 v.1 Unde fit, ut rasi quo consedere sodales,  
 2 hoc bona sit tellus et mala vita loco ?  
 3 Hinc puto, sola sui proventus commoda spectant,  
 4 et pravis homines moribus inficiunt.

## IN MORTEM TILONIS BRANDI.

E6\_071 v.1 Ut canum senio vidit languescere Brandum,  
 2 sic ait abscindens ultima fila soror.  
 3 Non tua te nunc jura juvant, facunda nec ora,  
 4 ad legem mutus cogeri esse meam.  
 5 Nummorumque feres adeo nihil inde tuorum,  
 6 ut Stygio nequeas solvere naula seni.

## AD COSSUM.

E6\_072 v.1 Qua tibi pingue queas medicina reddere corpus,  
 2 quaeris, et has rugas pellere, Cosse, tuas.  
 3 Ex variis methodum possem tibi scribere libris,  
 4 ast empirica plus ista valere puto.  
 5 Jejuna, vigila, duro te pone grabato,  
 6 ora perpetuo, continuoque stude.  
 7 Rides, et solito me tecum ludere more,  
 8 reris, crede, tibi seria verba loquor.  
 9 Hoc quia compertum est Monachos crassescere pacto,  
 10 cujus quae tumeant, cernis, omasa gregis.

## IN MONACHUM MEDICUM.

E6\_073 v.1 Fert anus urinam Monacho Lenonia, dicam  
 2 qua de re sanctum consulit illa virum.  
 3 Cujusdam queritur menses non ire puellae,  
 4 cui medicam poscit, ne tumefiat opem.

## IN FRANCISCANUM.

E6\_074 v.1 Multa tuae populo jactas durissima vitae.  
 2 Alta quibus meritis nos quoque ad astra vehis.  
 3 Scilicet insomnes noctes, tristesque grabatos,  
 4 assiduum studium, continuasque preces,  
 5 insuper indomitae frenos jejunia carnis ;  
 6 et mendicati vilia fercla cibi.  
 7 Credo, sed unde tibi crassi palearia menti,  
 8 isteque, quo scrofam vincis, aqualiculus ?

## EPITAPHIUM TUCCAE.

E6\_075 v.1 Hoc ubi defunctus tegetetur Tucca sepulchro,  
 2 sic uno est adstans ore jocata manus.

3 Tandem rupta cutem, sed morte, remisit hirudo :  
4 exstingui potuit non secus illa sitis.

## AD HUNUM.

E6\_076 v.1 Omnis iniqui heres, aut ipse est dives iniquus,  
2 mitrato repetens ex patre vulgus ait,  
3 si sanctus verum dixisse vir ille putatur,  
4 tunc ex hac justis nos duo parte sumus.

## AD CAROLUM CAESAREM.

E6\_077 v.1 En ut verus eram vates tibi, maxime Caesar,  
2 promissam rupit transfuga Papa fidem.  
3 Mox tamen ut fausto victor tu Marte triumphas,  
4 consilium vertet subdolus ille suum.  
5 Utque tuis rursus se posset jungere castris,  
6 tentabit varias, qua solet arte, strophas.  
7 Sed nova non mendax iterum praesagia dico,  
8 (ne dubita verbis pondus inesse meis)  
9 hunc modo dejectum si quando levaveris hostem,  
10 iratis superis terrigenisque cades.

## AD EUMDEM.

E6\_078 v.1 Foedifragum tandem tibi consulo desere Papam,  
2 et tua jam vindex assere jura tibi.  
3 Ne, sic invisum caelo terraeque tyrannum,  
4 dum colis, amborum destituaris ope.  
5 En ut laeta suis dudum tibi Roma columnis  
6 annuat, et dominum te velit esse suum.  
7 Ut tandem hic pulsus Corybantibus ac Megabyzis,  
8 incipiant fortes induperare viri.  
9 Ut priscum redeat decus et veneranda potestas,  
10 quique sub Augustis floruit ante status.  
11 Hic sua Caesaribus sedes heredibus olim,  
12 hinc vetus imperii nomen honosque tui.

## AD EUMDEM.

E6\_079 v.1 Dum tibi Romanus complex Salmoneus esset,  
2 ingenti poteris non superare manu.  
3 Mox ut is adversum nunc est mutatus in hostem,  
4 devicto Gallo, maxime Caesar, ovas.  
5 Quae causa est ? Toti jamdudum invisus Olympo  
6 vivit, et haec nocuit tum quoque culpa tibi.

## AD EUMDEM.

E6\_080 v.1 Regnavit referens quondam te nomine Caesar,  
2 ob sua qui magnus gesta vocatur adhuc.

3 Quem cum tu celebri fama virtuteque vincas,  
4 pro meritis debes Maximus esse tuis.

## DE GALLO.

E6\_081 v.1 Insultantem Aquilae supero de vertice Gallum  
2 vidit, et iratus sic Ope natus ait :  
3 "Quid quem constitui tibi temnis, perfide, regem,  
4 atque adeo armigerum non venerare tuum ?  
5 Ut discas igitur dominae parere volucris,  
6 semivir exemptis testibus esto capus."

## CAPUS.

E6\_082 v.1 Quam sit non eadem semper fortuna videte,  
2 et mecum sortem quaeso dolete meam.  
3 Ante suum Galli me regem habuere, sed, eheu,  
4 factum pullorum cernitis esse ducem.

## AD HEINRICHUM DUCEM BRUNSVICENSEM.

E6\_083 v.1 Nuntia Caesareum cum spargit fama triumphum,  
2 et fusam Galli succubuisse manum.  
3 Exhibet innumeros hilaris Germania lusus,  
4 et circum rapidos cantat ovatque rogos.  
5 Sed sua qui melius quam tu jam gaudia prodat,  
6 ex tot non unum millibus esse puto.  
7 Utpote cui sub idem tempus simul edita proles,  
8 Carolus hunc victor nobile nomen habet.  
9 Quod, vanum dum cessat Io tenuesque favillae,  
10 hujus mnemosynum non leve Martis erit.

## DE CAESARE.

E6\_084 v.1 Ex solis aliquot jam Caesar fercula cristis,  
2 fertur convivis apposuisse suis.  
3 Id levis huic potuisse labor, facilisque facultas,  
4 qui tot Gallorum milia fudit, erat.

## DE LAGELLO SACERDOTE.

E6\_085 v.1 Multos unctus habet nothos Lagellus,  
2 quos ex fratribus esse, ait, nepotes,  
3 qua verum id ratione dicat, audi,  
4 fratres testiculos solet vocare.

## IN SCADRICIUM.

E6\_086 v.1 Claro majorum te natum sanguine jactas,  
2 dictus ab antiquo nomine Scadricius.

3 Sed cum plurima te scabies et psora fatiget,  
4 appellandus eris nunc mihi Scabricius.

EPITAPHIUM HAINRICHI OSCAROLEBII.

E6\_087 v.1 Hac situs Hainrichus tegor Oscarolebius urna,  
2 inter honoratos candida fama viros.  
3 Qui mei ut antiquis majores semper ab annis,  
4 pro placida patriae commoditate fui.  
5 Care vale frater, quaeque in te tota stat uno,  
6 fac serves nostram perpete prole domum.

AD DIVAM CATHARINAM.

E6\_088 v.1 Si vera abjectum fama est te temnere mundum,  
2 quid facit in digitis annulus iste tuis ?  
3 Illo me Christus nuptam sibi pignore junxit,  
4 esset ut aeterno tempore castus amor.  
5 Si tuus hic sponsus, rata si connubia, quare  
6 hac verbum non vis illius aede pati ?  
7 Non haec culpa mea est, rasae male servio sectae,  
8 cui nihil est, si non fert sua lucra, pium.

AD GALLICUM MEDICUM.

E6\_089 v.1 Surdastrum curare ferunt te, Gallice, Cosmam,  
2 et quod ei certam polliciteris opem.  
3 Sed nihil efficies, licet omnem extenderis artem,  
4 nam male perpetuos audiet ille dies.

AD BERTRAMUM DAMMUM.

E6\_090 v.1 Amnicolae in sanctum Pauli vis scripta Lutherum,  
2 convivas cupiens exhilarare tuos.  
3 Non habeo, sed habet secretae capsula latrinae,  
4 nuper in exiguas dilacerata schedas.  
5 Qui suavem verbi tam foedus spurcat odorem,  
6 illa decet talem bibliotheca librum.

IN QUEMDAM MALUM.

E6\_091 v.1 Exalbas certo defrictos pulvere dentes,  
2 jam satis hi candent, nunc nigra corda frica.

AD QUEMDAM AMICUM.

E6\_092 v.1 Ex quo pluribus hinc sagax ab annis  
2 Romani juga nosis antichristi,  
3 immanemque tyrannidem fateris,  
4 et fraudes tibi displicent, dolique

5 cur jam, quando tuum istud institutum  
 6 fossis linquere honestiore vita,  
 7 illius quota pars manere regni  
 8 gaudes, et magis in dies opima  
 9 sacerdotia, fomitem nefandis  
 10 captans illecebris avarus ambis ?  
 11 Vis, quae suspicor esse vera, dicam ?  
 12 Nec Christo, nec es aequus antichristo,  
 13 sed pro deliciis tuis juvandis,  
 14 vel hoc neuter abuteris, vel ille.  
 15 Tu dic ergo bona fide vicissim,  
 16 numquid, quem magis omnibus prophetis.  
 17 Cunctis denique bibliis revolvis,  
 18 lectus coeperis esse Lucianus ?

EPITAPHIUM PETRI MOSELLANI.

E6\_093 v.1 Parva Mosellani claudit breve membra sepulchrum.  
 2 Sed magnum vasto nomen in orbe volat.

ALIUD.

E6\_094 v.1 Quod docto vitam poterant abrumpere Petro,  
 2 injustum Parcas nomen habere liquet.

AD LAVARDUM.

E6\_095 v.1 Non alia hic Euangelium ratione, Lavarde,  
 2 accipient stulti, saxea turba, sophi,  
 3 quam, cum conficiunt vernam, sua pocula, mumam,  
 4 ut quis id huic furtim misceat, hincque bibant.  
 5 Qualiter, ut pereant mordentes viscera vermes,  
 6 in vitis pueris pharmaca tecta damus.  
 7 Tam nec amara illis aloe, nec Santonis herba,  
 8 quam mera dans vitae nectara Christus olet.

AD SACERDOTES.

E6\_096 v.1 Saxea turba meo dicti estis carmine patres,  
 2 mentior, id fasso parcite quaeso mihi.  
 3 Nam potius mollis debetis spongia dici,  
 4 arida quandoquidem non ita saxa bibunt.

IN TANTALUM.

E6\_097 v.1 Sex annos claudio tibi laeva, Tantale, coxa,  
 2 est a me fateor certa negata salus.  
 3 Hoc tamen a morbo te rustica dextra levasse  
 4 fertur in invidiam, sic ego credo, meam.  
 5 At te non artis, sed fati ope crede valere,  
 6 saepe potest casus quod ratio ipsa nequit.



7 Quamquam quod specimen, vel quae miracula dicam,  
 8 quodque Hippocratico dedecus inde choro ?  
 9 Si medicus pecorum pecori medeatur agaso,  
 10 sanandos homines nam schola nostra docet.

## AD HUNUM.

E6\_098 v.1 Hune, rogas qualem se Dama ostendat amicum,  
 2 an, quam promisit nunc quoque praestet opem ?  
 3 Omnem candorem ridenti suaviter ore,  
 4 nimirum dentes, exhibet ille suos.

## IN HYPERASPISTEN ERAS (MUM) .

E6\_099 v.1 Si quibus offensus scriptis male Papa favebat,  
 2 hoc tibi placatus nivet, Erasme, libro.  
 3 Sed non, quos ab eo melior pietasque fidesque  
 4 vertit, ei rursus conciliare potes.  
 5 Haec tua delectat, fateor, dulcissima Siren,  
 6 Dulichio tamen hic nos decet esse dolo.

## LIBER AD AUTOREM.

E6\_100 v.1 Si me Centuriam vis dicere, desine, Corde.  
 2 Si librum, quavis sistere parte potes.

## EURICII CORDI EPIGRAMMATUM LIBER SEPTIMUS.

## AD GEORGIUM STURTIUM.

E7\_001 v.1 Si te quaeque mei celebrarit pagina libri,  
 2 et geminum versu tollat adusque polum.  
 3 Non tamen aequalis merito tibi gratia reddi,  
 4 nec digna poteris tu mihi laude cani.  
 5 Candide vis igitur solvi quod debeo, Sturti,  
 6 cum tota vitam re tibi tolle meam.

## IN IOANNEM MENSINGUM.

E7\_002 v.1 Tam nihili tibi visus homo est, Mensinge, Lutherus,  
 2 hoc ut eum speres vincere posse libro ?  
 3 An captata levis male iudicis aurula vulgi,

4 an placet hoc etiam nomine partus honor ?  
 5 Languida quid fragilem tu musca proboscida figis,  
 6 hic ubi tam multus nil elephantus agit ?  
 7 Tu tamen evicta veluti tibi lite triumphas,  
 8 quod tacet ad nugas hactenus ille tuas.  
 9 Uno te leviter digitorum triverit ictu,  
 10 si vivam pungas huic penetresque cutem.

## AD EMBLICUM.

E7\_003 v.1 Sunt hic qui divum te dicunt, Emblice, Petrum,  
 2 quod tacito Christum pone sequere pede.  
 3 Stas tamen ad gratas intra Caiphae atria prunas,  
 4 te calidum lapso caelitus igne velim.

## AD FRANCISCANOS.

E7\_004 v.1 Dicitis Hispanos vestrum petiisse ministrum,  
 2 dum tribus in sacra mensibus aede tacet.  
 3 Vel mentiti estis, magicam vel novit is artem,  
 4 ut queat ascenso quolibet ire capro,  
 5 hac quia deprensus quodam est in fornice nocte,  
 6 inter lascivas ebrius ille lupas.

## AD HELVICUM.

E7\_005 v.1 Miraris impii quid uxor Alcaei,  
 2 medicos quotidie petat cucullatos.  
 3 Turgentibus pessum cupit locis subdi,  
 4 hac arte maxime pii valent fratres.

## DE MONACHO CUI SCROFAE COGNOMEN.

E7\_006 v.1 Ex alto media suggesto coepit in aede,  
 2 plebi sermonem dicere Scrofa suae.  
 3 Cumque Lutheranos ferus inveheretur in hostes,  
 4 fracta pedum strepitu per tabulata ruit.  
 5 Subtrusisque togis imam delapsus ad alvum,  
 6 ridiculum nuda pube pependit onus.  
 7 Imposuit falso mendax cognomine frater,  
 8 Arcadicum verres cuspide vicit aprum.

## AD MULIERES QUASDAM.

E7\_007 v.1 Quod fune cinctos et glabros cucullatos  
 2 medicos habetis atque visitis vestros,  
 3 mirum nihil, quia integros viros scitis,  
 4 quod vero praecisos subinde Judaeos  
 5 non setius celebratis oro quae causa est ?  
 6 Non febre vestros conjuges mori vultis.

## AD NUMAM.

E7\_008 v.1 Nullam progeniem bis quinque vel amplius annis,  
 2 e tenera juvenis conjuge Varro tulit.  
 3 Donec in extrema juxta ultima stamina tabe,  
 4 funigeri medici perpete jutus ope est.  
 5 I nunc et sacra Francisci femoralia ride,  
 6 nilque cucullatos dic Numa posse viros.  
 7 Nude Luperce, vale, vale item Junonia pellis,  
 8 haec vestrum vestis turbaque numen habet.

## IN GEREBINUM

E7\_009 v.1 Qui tibi visus inops, et non curabilis aeger,  
 2 huic nostram monstras mox, Gerebine, domum,  
 3 Atque ais, ille potest hac alter in arte Galenus  
 4 in paucis certam ferre diebus opem.  
 5 Pluraque de docto jactas praeconia Cordo,  
 6 quae sit dicturus scilicet ille mihi.  
 7 Hoc tu consilio vis fidus amicus haberi,  
 8 vis fore, primates huc mihi mitte viros.  
 9 Magnus adulator blando quos allicis ore,  
 10 et studio infensos efficis esse meo.  
 11 Quos didici medicum sine me depellere morbos,  
 12 tu potus misce pharmacopola tuos.

## AD EUMDEM.

E7\_010 v.1 Per tibi dilectae dulcissima furta puellae,  
 2 per Plutum quaeso te, Gerebine, tuum.  
 3 Dic mihi, quam nosti, quod sic extolleris, artem,  
 4 quod tantam tibi habet femina virque fidem ?  
 5 Prorsus es indoctus, reliquorum more, sacerdos,  
 6 vixque legis missae barbara verba schedae.  
 7 Tu tamen hac magnus celebraris in urbe Galenus,  
 8 et te vult medicum quilibet esse suum.  
 9 Forte quod egregius blanditor palpoque nosti  
 10 servili, cuivis quod placet, ore loqui ?  
 11 A mulsaque leves plumas abstergere veste,  
 12 et dominum supplex ferre supercilium.  
 13 An quoque ficta juvat pietas, Pharisaeaque corda,  
 14 quodque Lutheranum non ita dogma probas ?  
 15 Hoc si quaerendus favor est et opinio pacto,  
 16 infensum semper vulgus habebō mihi.  
 17 Cui, quos antiquos habuit Germania mores,  
 18 candida libertas simplicitasque placet.

## MONEDULA CORDI AD BRUNSVICENSES

E7\_011 v.1 Quae patulis adimunt hic solis lumina pennis,  
 2 centum Stymphali ferre potestis aves.  
 3 Atque pio rapidas Harpyias corde fovetis,

4            quae vestras foedant et populantur opes.  
 5        Cur ego, quae nullum plane insons infero damnum,  
 6            infestis odiis insidiisque petor ?  
 7        Sed meliusne mihi fatum volo serva volucris,  
 8            quam meret officiis hic herus ipse suis ?  
 9        Displicet huic quisquis bene vult et consulit urbi,  
 10           qui nocet, is summo cultus honore placet.  
 11        Hos ut vestrates patienter suffero mores,  
 12           nec minus invisum clamito Papa, vale.  
 13        Quae nisi tu mecum Brunsvicum verba loquaris,  
 14           non tibi propitium noveris esse deum.

EPITAPHIUM EIUSDEM.

E7\_012 v.1        Hic sita sum vestras imitata monedula voces,  
                   2            Cordinae lusus deliciaeque domus,  
                   3            omnia ridenti populo mea verba placebant,  
                   4            praeter dum coepi dicere "Papa vale".  
                   5            Tunc rasorum odio patrum instigata juvenus,  
                   6            quaesiit indignam fuste lutoque necem.  
                   7            Haec tamen evasi pernace pericla volatu,  
                   8            a sene dum perii duriter icta Cado.  
                   9            Qui tanta nam stulta gravem levitate putassent,  
 10            vi miseram sapiens insequeretur avem ?  
 11            Quo nocui quaeris, crebra fur voce sonabam,  
 12            id graviter nomen conscius ille tulit.

DE TRIPHONE SACERDOTE.

E7\_013 v.1        Non ego confessae mihi dicta piacula plebis  
                   2            prodo, docens sacra dixit in aede Triphon.  
                   3            Sed proprium quivis ut curet ponere furnum,  
                   4            consilium tibi do contio cara meum.

AD LECTOREM.

E7\_014 v.1        Ne te nocturni pulices pedesque fatigent,  
                   2            hunc exorcismum, candide Lector, habe.  
                   3            Manstula correbo budigosma tarantula calpe,  
                   4            thymmula dinari golba caduna trepon.  
                   5            Hos novies lectum scansurus concine versus,  
                   6            tresque meri calices ebibe quaque vice.

AD TRUONEM.

E7\_015 v.1        Suprema credens, Truo, te discumbere sellae  
                   2            efferris, noli, est infimus ille locus.

AD HERACLITUM.

E7\_016 v.1        Quid Brunsvicensi faciam me quaeris in urbe,

2           qua medica nullum suppetit arte lucrum ?  
3       Alter Democritus stultos hic rideo mores,  
4           quos madidis potius tu lacrimere genis.

## AD HUNUM.

E7\_017 v.1       Pulmonem sub ventre, jecur sub gutture ponit,  
2           ignorans qua sit splen quoque parte Corax.  
3       Et sitiens hydrops quod sit putat hectica febris,  
4           una omnes morbos denique curat ope.  
5       Et tamen hac alter celebratur in urbe Galenus,  
6           nec fatuos homines crebra feretra movent.  
7       Ast ego si reduces revocem in sua corpora manes,  
8           hinc artis nullum nomen habebo meae.  
9       Scilicet ob sacrum plebes huic credit amictum,  
10          meque Lutheranum devovet haereticum.  
11       Quare huc accitus Medicus si veneris umquam,  
12          tunc factus Christi dogma nega monachus.

## IN QUEMDAM FRANCISCANUM DOCTOREM.

E7\_018 v.1       Vides recalvastrum et cucullatum Patrem  
2           illum, nigro superbientem pileo.  
3           (Insignis hoc quod esse Rabi proditur)  
4           tortaque cannabe et recisis calceis,  
5           plane alterum hac in urbe Franciscum, cui  
6           tam multa semper est in ore castitas,  
7           cum simplici sermocinatur plebei,  
8           qui beluinam tam ferox libidinem  
9           abominatur, exsecratur, despuit ?  
10          Hunc Rostochi nuper suo in cubiculo,  
11          quidam irruens non obdito hospes pessulo  
12          offendit incautum peractis a sacris  
13          cum nuda et insidente mensae virgine.  
14          Non suspicare de bono malum viro,  
15          audita confessae expiavit crimina,  
16          quae debitas sic vapulans poenas dedit.

## IN EUMDEM.

E7\_019 v.1       Si, quod ais, socia qui vinctus conjuge vivit,  
2           non poterit soli rite vacare deo,  
3       dic age quonam tu potes huic te dedere pacto.  
4           Multa distractum Laide sancte Pater ?

## EPITAPHIUM CADI.

E7\_020 v.1       Franciscana suo, qui mos est, secta cucullo  
2           induit aegrotum jamque in agone Cadum.  
3       Qui cum sub Stygias venisset mortuus umbras,  
4           distribuens poenas sic Rhadamantus ait.  
5       In socio potuit pоторum hic agmine sisti,

6 nunc factum Monachum non locus ille decet,  
 7 extremos igitur petat, infima Tartara, luctus  
 8 ultra Ephialtaeos Aeolidaeque focos.  
 9 Horum ubi ter centum spectrorum milia plorant,  
 10 pro Christo Latium quod coluere Baal.

## AD DAMAM.

E7\_021 v.1 Quod facili arrides humaniter obvius ore,  
 2 virtuti tribuo non ego Dama tuae.  
 3 Hoc facis ut pulchros possis ostendere dentes,  
 4 concolor his intus te cor habere velim.

## IN CENACULUM CUJUSDAM.

E7\_022 v.1 Hinc gravis anxietas, hinc mordax cura facessat,  
 2 nam sacer est Genio laetitiaeque locus.  
 3 Non eris hic gratus nisi collaetaberis hospes.  
 4 Si quis Chrysippus vel Cato vivis, abi.

## AD LINUM.

E7\_023 v.1 Quod Paulina petunt crebrae, Line, claustra puellae  
 2 non debes sanctos insimulare viros.  
 3 Qua laceras illae reparent utcumque corollas,  
 4 est ibi perpetuis multa Sabina comis.

## AD CIVES.

E7\_024 v.1 Vidistis hesterno die optimi Cives,  
 2 qui contionans calvus ille Rabinus,  
 3 qui cannabina sanctitate praefulget,  
 4 irasceretur et tumultuaretur,  
 5 novumque testamentum ut impias nugas  
 6 rabido impetu abjecit, vetans id indoctis  
 7 mulierculis legendum et inscio vulgo.  
 8 Is unde sit miramini furor, dicam.  
 9 Formosum habebat castus hic pater scortum,  
 10 id hunc librum emit, legit, et deum Christum  
 11 agnovit, exactamque corrigit vitam.  
 12 Nec amplius mutoniatum amat eunuchum.

## DE FRANCISCANO.

E7\_025 v.1 Ex istis qui se praecingunt cannabe, calvis  
 2 quidam rus lectum munera frater iit.  
 3 Quem duo dum prensu spoliassent veste latrones  
 4 in solo rediit nudulus indusio.  
 5 Hunc pater ut vidit rem cepissetque minister,  
 6 corripuit medium summa ubi crura virum.  
 7 'Et, tibi salvus adhuc, ait, est, quid ringere ? Penis.'

8           Hic ablata statim reddere cuncta potest.

AD SCHADUM.

E7\_026 v.1     Dat gentile tibi damnum cognomen, id ipsum  
           2           ex signis poterit cuique patere tuis.  
           3     Nimirum mixto Monachi et lupi imagine monstro,  
           4           plus utroque rapax est animante nihil.

SUPRA ORBICULAREM MENSAM.

E7\_027 v.1     Omnes ad medium convivae accumbitis orbem,  
           2           sic poterit summum quisque tenere locum.

AD IANUM CORNARIUM.

E7\_028 v.1     Bis tua, Cornari, doctissima littera venit,  
           2           utraque Pierio conspicienda choro.  
           3     Quam mea tu plenis effers praeconia buccis,  
           4           meque brevi ex musca grandem elephanta facis.  
           5     Quo me sic nimius perfundas rere pudore ?  
           6           Qui vires norim conscius ipse meas,  
           7     quam, puta, sit tenuis mihi res, quam curta supellex,  
           8           exiguo est major calceus ille pede,  
           9     attamen ignoti gratum est mihi pectus amici,  
          10           et facile errorem dono feroque tuum.  
          11     Si modo, ceu talis fuerit tibi Cordus, ametur,  
          12           est aliquid Jano posse placere meo.

AD LANGUM.

E7\_029 v.1     Qui, quod rogas, sacrum hic dei audiat verbum,  
           2           ex hoc potest, amice Lange, constare.  
           3     Inter potentes hac in urbe primates,  
           4           qui publicae rectorem habent rei clavum,  
           5     quidam, putatus tertius Cato, consul,  
           6           ubi de novato Ecclesiae statu sermo  
           7     frequente nuper incidisset in mensa,  
           8           quid est, rogat, plerique quod sacerdotes  
           9     crebro suis in contionibus dicunt  
          10           Marci atque Matthaei, quid haec sonant verba ?  
          11     Cumque assidente a quopiam moneretur  
          12           novi esse testamenti eos quotos libros,  
          13     apage, inquit, improbos viros ab hac urbe,  
          14           numquid sciunt quod uterque noster hic Rabi,  
          15     hic Dominicum professus, ille Franciscum,  
          16           sancta ambo religione maximi patres,  
          17     id ut impiam atque pessimam haeresim dudum  
          18           abominantur, exsecrantur et damnant ?

## AD SENATUM.

E7\_030 v.1 In tribus omne malum sepellere posse diebus,  
 2 ad sacras quaedam clamat inepta fores,  
 3 id situ posses faceresque, verende Senatus,  
 4 in quarto non hic afforet illa die.

## DE CATULINA.

E7\_031 v.1 Non infame magis Catulinam credite scortum,  
 2 conversam Christo se dedit illa Deo.  
 3 Namque cucullato rasum caput obsita cultu,  
 4 inter funigeros cernitur ire patres.  
 5 Hic quo peccavit poenam quoque corpore suffert,  
 6 a cunctis quando vapulat una viris.

## IN VULGUS.

E7\_032 v.1 Infestum medico non hic mirabere vulgus,  
 2 diligit assiduam, quam vetat ille, gulam.

## DE CINNA.

E7\_033 v.1 Deposito semper pedit ructatque pudore,  
 2 et putat hos mores Cinna placere suos.  
 3 Scilicet utile quod fuerit, contendit honestum,  
 4 numquid Stoicus hac est ratione sophus ?

## AD EUMDEM CINNAM.

E7\_034 v.1 Ad quamcumque sedes inter convivia mensam,  
 2 eructas claro Cinna crepasque sono.  
 3 Nunc tibi cum medica, quae talia praecipit, arte  
 4 convenit, hoc saltem grata sit illa modo.

## AD HAINRICHUM STAPENSENIUM.

E7\_035 v.1 Jucundissime mi sodalis audi  
 2 rem perridiculam, sed et dolendam.  
 3 Usurarius ille fenerator,  
 4 indoctus, rudis, et tenax sacerdos,  
 5 mercenarius in tua aede pastor,  
 6 jam post quinque semel coactus annos  
 7 unam nuper habere contionem  
 8 commissas ad oves suas paravit.  
 9 Huic ter continuis decem diebus  
 10 navavit studio, omniumque volvit  
 11 commentaria summulariorum,  
 12 quos a docticulis quibusdam amicis  
 13 accepit miser ille commodatos.  
 14 Cum jam singula sensa crederetur



15 sacrorum didicisse bibliorum,  
 16 ad festamque paratus esse lucem,  
 17 consultum dubius cucullionem  
 18 quis Christi fuerit pater rogavit.

## AD LEVINUM EMDENUM.

E7\_036 v.1 Sit precor hic felix tuus hanc adventus in urbem,  
 2 maxima juridici fama, Levine, chori.  
 3 Gaudeo post unum multa inter milia Dammum,  
 4 hic quoque te doctum cernere posse virum,  
 5 et sua cui niveus cohonestat pectora candor,  
 6 inque Cithaeronidas prona cupido deas.  
 7 Ergo tuos numeres Cordum precor inter amicos,  
 8 et vel in extremo des residere loco.  
 9 Sic quod in hac me barbaria soletur habebō,  
 10 nec solis saxis maesta Thalia canet.

## AD MEDICOS.

E7\_037 v.1 Hac procul este boni medici, vos hortor, ab urbe,  
 2 et vel apud saevos quaerite lucra Getas.  
 3 Nil divina dabit vestri hic doctrina Galeni,  
 4 nec magnus quicumque proderit Hippocrates.  
 5 Nam victae tantum vetulae, atque impostor Apella,  
 6 calvastrisque sues et vagus erro placet.  
 7 Huic soli suus est hic cultus honorque farinae,  
 8 huic habet addictam femina virque fidem.  
 9 Credita Chaoniae non sic oracula quercus,  
 10 nec tam certa dedit Delphicus ora tripas.

## AD EOSDEM.

E7\_038 v.1 Medica tuum qui quaeris arte tibi cibum  
 2 etiam alter aut Galenus aut Hippocrates  
 3 vel ipse Paeon aut Apollo sis, cave  
 4 dictam Duce a Brunone ad urbem te feras,  
 5 ubi tua est contempta sic professio,  
 6 ut ipsa grata crapula et potatio.  
 7 Quod vatibus cum nollem amicis credere  
 8 rerum gravi experior mearum incommodo.  
 9 Quippe aureorum allectus huc spe montium  
 10 praeter meram mendicitatem habeo nihil,  
 11 quas ante me quicumque erant medici hinc opes  
 12 divenditis secum tulere vestibus.  
 13 Quocumque vis alio potes melius loco  
 14 apud idiotas barbarosque rusticos  
 15 juvenum otiosus esse pastor anserum.

## AD UXOREM.

E7\_039 v.1 Audi quo rasi vicinum murmure funus

2 obtundunt, promptis quam cita lingua viris.  
 3 Si tales cantus redimendis manibus adsunt,  
 4 percipit has facili si deus aure preces,  
 5 non opus est magno turbam conducere sumptu,  
 6 exsequias detur si celebrare meas.  
 7 Paucos anseribus de furfure sparge pugillos,  
 8 et simili possunt hi strepitare sono.

## IN QUEMDAM SACERDOTEEM.

E7\_040 v.1 Nulla est contio, quin magno terrore mineris,  
 2 extremum breve post tempus adesse diem.  
 3 Id si credere te monstres, credemus et ipsi,  
 4 nil te securum tale timere patet,  
 5 qui misera pallens ita sollicitudine quaeris  
 6 immensas, veluti non moriturus, opes.

## AD MEDICOS.

E7\_041 v.1 Sat dixi, nullum medicus sortitur honorem,  
 2 et nullum facit hac spretus in urbe lucrum.  
 3 Hoc edocta diu clarorum turba virorum,  
 4 hoc didici damno serus et ipse meo.  
 5 Si quis adhuc nostra demens non sorte monetur,  
 6 dignus, ut hanc praesens experiatur, erit.

## AD CELEREM BIBLIOPOLAM.

E7\_042 v.1 En nova Franciscus stupidae miracula plebi  
 2 exhibet, in plenum munera ferte tholum.  
 3 Hic quoscumque suos Martino credere fratres  
 4 percipit, extemplo vindice morte ferit.  
 5 Qui vero Latii sistunt in dogmate patris,  
 6 hos beat, et primo dat residere loco.  
 7 I nunc et vetitos Martini irascere libros,  
 8 et cautos Celer hic infitiare patres.

## AD AMICUM.

E7\_043 v.1 Pallentem faciem, macrasque buccas  
 2 me miraris habere, qui medendi  
 3 jam tot sim studium professus annis.  
 4 Hac qui sanus in urbe convalescam ?  
 5 Qua tam nubilus et malignus aer,  
 6 tam crassum riget undequaque caelum,  
 7 ut, quamvis redeuntis orta solis  
 8 totum lux modo splendeat per orbem,  
 9 aeternae hic maneant tamen tenebrae.

## DE OBBA.

E7\_044 v.1 Interfectorem populi petit Obba Dialum,  
 2 nec me vult medicum conjugis esse suae.  
 3 Non quod me putet indoctum vel reprobet, imo  
 4 qua quid uterque potest arte fideque videt.

## IN PANDECTAS MATTHAEI SILVATICI.

E7\_045 v.1 Ne prima fallant, quasi sint oracula, fronte,  
 2 docto haec iudicio subdita scripta lege.  
 3 Namque tot errores quot in hoc sunt codice versus,  
 4 e tali qualis fonte lacuna putret ?  
 5 Ergo bonis, ut non sit opus dediscere, libris  
 6 assuescens uno disce labore puer.

## IN FRANCISCANUM.

E7\_046 v.1 Defessum fertur portare ciconia patrem,  
 2 hinc illa pietas saepe notatur ave.  
 3 Haec eadem virtus miseris debetur asellis,  
 4 quando vehunt dorsis teque tuosque suis.

## IN FRANCISCANORUM MINISTRUM.

E7\_047 v.1 Fingis in externis tibi magna negotia regnis,  
 2 nunc Hispanica, nunc Anglica claustra petis.  
 3 Hinc nova Brunsvici semper praeconia portas,  
 4 quod Latii teneat sancta statuta patris.  
 5 Talibus hac studiis vis Paulus in urbe videri,  
 6 te dudum paulum novimus esse, tace.

## DE SCAEVOLA.

E7\_048 v.1 Mane salutatus respondit Scaevola "prosit" :  
 2 inter convivas se ratus esse suos.

## AD CANTHARUM.

E7\_049 v.1 Inter praecipuos carus tibi Cordus amicos,  
 2 cum de te meritus nil erat ille, fuit.  
 3 Ast ubi cardiaco patrem jam subtraho morbo,  
 4 officio coepi vilior esse meo.  
 5 Hoc admiranti fert hanc mihi fabula causam,  
 6 unicus est haeres divitis ille viri.  
 7 Sed cum gratuito scis me curasse labore,  
 8 qui rebus potui noxius esse tuis ?

## AD LEVINUM VELTHEMIUM.

E7\_050 v.1 Audi praeteritae mea quae nam somnia noctis,  
 2 aurea Tithoni dum redit uxor, erant.  
 3 Visus adesse mihi est et dicere talia Phoebus,  
 4 surge, quid in damnum stertis hiulce tuum ?  
 5 Intermissa diu solitae cape plectra lyrai,  
 6 quaeque potes propero carmina lude pede.  
 7 Extollendus adest tibi summis laudibus heros,  
 8 incluta Saxonici fama Levinus agri.  
 9 Quem vicina fovet fecundo Hornburga receptu,  
 10 et dominum felix gaudet habere suum.  
 11 Ultra hoc, quod veteri genitus de stemmate fulget,  
 12 omneque virtutum continet ille decus.  
 13 Ultra hoc, quod bifidi praecellens gloria juris,  
 14 facundo stupidum personat ore forum,  
 15 Aonias etiam nuper spatiatas ad undas,  
 16 nostra sub afflato numina corde gerit,  
 17 praecipuoque novem veneratur honore sorores,  
 18 et colit haec quotquot noscere sacra videt.  
 19 Qui canis hic surdis, tanta unde incommoda, saxis,  
 20 hunc sinis hinc vanum mutus abire virum ?  
 21 Non tantum committe nefas, quin pange repente,  
 22 accipiet facili qualiacumque manu.  
 23 Non quia sola placet verno philomela susurro,  
 24 est etiam nostro grata cicada choro.

## AD EUMDEM.

E7\_051 v.1 Magne vir, has suffer fusas ex tempore nugas,  
 2 commodior donec causa diesque venit.  
 3 Altiloquas abigit tenuis fortuna Camenas,  
 4 et vacuae mordax sollicitudo domus.  
 5 Quando tulit nudos, pistoris munera, panes,  
 6 abjectus scripsit vix Epigramma Maro.  
 7 Post ubi Caesareo conscendit ad alta favore,  
 8 pluribus intonuit principe digna libris.

## AD EUMDEM.

E7\_052 v.1 Scis, hesterna mihi linquenti prandia dixti,  
 2 de porcis scribas carmina, Corde, meis.  
 3 Hi quales fuerint ignoro, huc ergo videndos  
 4 mitte quot, ut melius scribere vera queam.

## AD EUMDEM.

E7\_053 v.1 Tu tibi blanda meae poscis modulamina musae,  
 2 emunctae certe musicus auris homo es.  
 3 Ast ego porcorum grunnitus opto tuorum,  
 4 nonne rudis videor rusticus esse tibi ?

## AD EUMDEM.

E7\_054 v.1 Circaea in porcum mutatus Gryllus ab arte,  
 2 perpetuo brutum maluit esse pecus.  
 3 Quid mirare ? Vides id in hoc contingere saeclo,  
 4 quo spurcos cuncti vivimus usque sues.  
 5 Quisquis et humanae nos rursus subdere formae  
 6 tentat, is infesto mox male dente perit.

## AD RAVUM.

E7\_055 v.1 Hos ego cujusdam fictos radicibus herbae,  
 2 tu natos dicis sub cruce, Rave, viros,  
 3 quemque penes fuerint juras ditescere civem,  
 4 si sic est merces has tibi conde tuas.

## IN COCHLEAM.

E7\_056 v.1 Per varios, quos jam divulgas Cochlea libros,  
 2 mentito genitum corde fatere deum.  
 3 Id licet, at fuso testari sanguine nescis,  
 4 cujus nulla tuo corpore gutta calet.

## DE FRANCISCANO.

E7\_057 v.1 Funiger uxorem cujusdam frater amavit,  
 2 sed voti compos non quiiit esse sui.  
 3 Tandem pollicitum petiit stramenta maritum,  
 4 hisque ipsam inclusam detulit ille domum.

## AD COSMUM.

E7\_058 v.1 Vicinus cave te solum deprندات Agyrtes,  
 2 nam te mandragoris adderet ille suis.

## IN ORGANA AEGIDIANA.

E7\_059 v.1 Romula dum pietas Germanum linqueret orbem,  
 2 hac quasi supremum perfuga fecit iter,  
 3 hoc istis erecta docent haec organa turbis,  
 4 diruit ut rabidus talia cuncta furor.  
 5 Sic resonant, ut in hoc haerens modulamine plebes,  
 6 nil evangelicam curet ametve tubam.

## AD HUNUM.

E7\_060 v.1 Tres esulae drachmas convivae miscuit Orcae,  
 2 in plenum ludens ebria turba scyphum.  
 3 Ille bibit nec adhuc sibi concita viscera sensit,  
 4 hos inter medicus quid facit, Hune, boves ?

## AD HEINRICHUM STAPENSENIUM.

E7\_061 v.1 Nostrae dulce decus sodalitatis,  
 2 care Heinrice, veni, tuumque Cordum  
 3 oblecta lepida dicacitate,  
 4 laetorumque ducenta nuntiorum  
 5 porta plaustra, gravesque pelle curas.  
 6 Qui vindex fidei, refer, Lutherus,  
 7 qui doctissimus omnium Melanthon,  
 8 qui vere pius ille Pomeranus,  
 9 qui, quotquot reliqui, valent amici,  
 10 quos illic pietatis alma sedes  
 11 Witemberga suo fovet receptu.  
 12 Nam quicquam nocuit, quod imprecata est  
 13 uno illis inimica turba voto  
 14 fratrum hic colluvies cucullionum,  
 15 et rasae simul omnis ordo sectae.  
 16 An castae similes putabo rutae ?  
 17 Quae, quo pejus, uti putatur, audit,  
 18 hoc felice magis virescit auctu.

## AD SENATUM.

E7\_062 v.1 Vestra ubi me blandis huc traxit epistola verbis,  
 2 quartana tentum, credite, febre velim.  
 3 Sex mea durasset septemve adflictio menses,  
 4 forteque collectas inter amarer opes.  
 5 Qui modo continuas aerumnas pluribus annis,  
 6 qua soliti hic medici condicione, fero.  
 7 Utpote contemptae qua sordent Paeonis artes,  
 8 et suus est, qui vos ludificantur, honor.  
 9 Insuper infestis totius dentibus urbis,  
 10 quod verum Christi comprobo dogma, terror.  
 11 Quas his pro meritis grates mea musa rependet ?  
 12 Digna Lycambaeis res foret illa modis.  
 13 Attamen oppresso pro vobis oro furore,  
 14 ut spirans tandem det sua dona Deus.  
 15 Et felix composque sui Respublica voti,  
 16 vos habeat quales concedet esse viros.

## DE MEDICIS.

E7\_063 v.1 Tres medicus facies habet, unam, quando rogatur,  
 2 angelicam, mox est, cum juvat, ipse Deus,  
 3 post ubi curato poscit sua praemia morbo,  
 4 horridus apparet terribilisque Satan.

## AD GEORGIUM COPPUM.

E7\_064 v.1 Actutum Aonides adeste Musae,  
 2 cumque his vos quoque Gratiae sorores,

3 sed cultae nitidaeque et elegantes.  
 4 Vos vestri Aonides decore mundi,  
 5 tectis sindone Gratiae pudendis.  
 6 Ornatus quoniam et pudicus ille est,  
 7 cui mittemini, ut hunc, rogatis edam.  
 8 Vestrum noscitis aemulum et sodalem,  
 9 humanum, facilem, pium, facetum,  
 10 clarum religione et arte Coppum ?  
 11 Ite, huic dicite plurimam salutem,  
 12 oblitumque mei admonete amicum,  
 13 ut se desidia silentiique,  
 14 quorum me solet alligare, purget,  
 15 si quaerit quid agam, statim referte,  
 16 pertaesus stupidos sues et hircos,  
 17 sensatos homines tua hac in urbe  
 18 isto visere Julii sub aestu  
 19 gestit, si modo certior quod esset  
 20 tam gratus tibi quam rogatus hospes.

IN QUOSDAM HOSTES EUANGELII.

E7\_065 v.1 In quadam urbe suum jam coepit spargere verbum,  
 2 plebeio tandem victus amore Deus.  
 3 Quod mox resciscens coit, vetuitque, senatus,  
 4 et sic prudentes consulere viri.  
 5 Ipse suum Christus regat et moderetur Olympum,  
 6 in nostra domini nos dicione sumus.

DE QUODAM SACERDOTE.

E7\_066 v.1 Solemni faciens sermonem luce Sacerdos,  
 2 sic populum fertur commonuisse suum.  
 3 Quis malus a sancto vos error dogmate traxit,  
 4 jussit et antiquam deseruisse fidem ?  
 5 Nulla magis colitis quae vestri sacra parentes,  
 6 nulla magis pietas religioque placet.  
 7 Nam quae mille dabant mihi singula festa Leones,  
 8 vix unum Galli dant modo cuncta caput.

DE MEDICO MONACHO.

E7\_067 v.1 Medicum frequentes feminae monachum petunt,  
 2 nil suspicare, aegros domi viros habent.

AD LUCANUM.

E7\_068 v.1 Quod ambis famulum meum, allicisque,  
 2 tam te non plagiarium putabo,  
 3 ut ultro tibi eum libens relinquam.  
 4 Sed mores prius illius teneto.  
 5 Rudenti magis est piger caballo,  
 6 et stertit medias adusque lucas,

7 vultus mane lavans suos manusque  
 8 non puris nisi linteis retergit.  
 9 Exit quando lubet, revertiturque,  
 10 scortatur, bibit, aleaque ludit,  
 11 primas occupat accubitiones,  
 12 apposto quoque primus in catino est.  
 13 Et plenum nisi sit recensque poclum,  
 14 fastidit, quod idem priorprehendit.  
 15 Nec quem bis positum cibum capessit,  
 16 nec paucis nec amat quibusque ferclis,  
 17 sed multis saturari eisque lautis.  
 18 Nulli pone subit, sed ad latus se  
 19 adjungit comitem, ducemque praebet.  
 20 Tantis denique fastibus superbit,  
 21 ut quis sit dubitet, nec ipse norit,  
 22 his virtutibus optimum ministrum,  
 23 commendo meritis tibi camenis  
 24 ista condicione, ne remittas.

IN QUEMDAM FRANCISCANUM.

E7\_069 v.1 Qui vos perpetuo mansuros tempore dixit,  
 2 falsus Franciscus, sanctule frater, erat.  
 3 Verus enim docuit Satanae plantaria Christus  
 4 certa, quantumvis sero, perire nece.

AD SODALES ERFORDIANOS.

E7\_070 v.1 Divini tuba, docte Lange, verbi,  
 2 vates Hesse, perite jure Petrei,  
 3 et tu Paeoniae Hune cultor artis,  
 4 nostrae relliquiae sodalitatis,  
 5 postquam cetera dissipata turba est.  
 6 Vos vestri studiosus ille Cordus,  
 7 quondam non ita inelegans amicus,  
 8 istis hendecasyllabis salutatur.  
 9 O dulces animae quis hanc favebit  
 10 fortunam Deus, ut mihi reverti  
 11 ad vos hinc liceat, rudi impioque  
 12 et bruto ex populo asperisque saxis,  
 13 inter quae male conteror friorque  
 14 ut jam nil reliquum mei supersit.  
 15 Non inter Geticos magis Tomitas  
 16 infelix miserabilisque Naso,  
 17 quam tres hic ego dego nunc per annos.  
 18 Hanc sortem memini meos prophetas  
 19 vos dixisse mihi, sed ipse demens  
 20 tum sanos monitus obaudiebam.  
 21 Qui ceu Phryx modo corrigente plaga  
 22 expertus sapio, Beatus ille  
 23 audito sibi qui cavet periculo.



## AD LUCIUM TYPOGRAPHUM.

E7\_071 v.1 Ut mea dem vulganda rogas Epigrammata, Luci,  
 2 accipe, sed magni vota remitte lucri.  
 3 Hoc quia nescio quae potiores tempore nugae,  
 4 quas vomit indocto quilibet ore, placent.  
 5 Non ita multus erit qui curet carmina lector,  
 6 friguit Aonii cultus amorque chori.  
 7 Et tibi certa loquor verus praesagia vates,  
 8 post aliquot nullus lustra disertus erit.  
 9 Fiet et, ut misero tandem respublica lapsu,  
 10 una cum vera religione cadat.  
 11 Non videt haec socors nec sarcit damna potestas,  
 12 cum tamen id, prudens si velit esse, queat.  
 13 Nempe rutis Papae modo barbariaeque Lyceis,  
 14 si studeat doctas restituuisse scholas.

## AD IACOBUM CANTERUM FRISUM.

E7\_072 v.1 Hicne sub Arctoo Parnassides axe sorores,  
 2 tam rigidum caelum crassaque rura colunt ?  
 3 En ut tristis hiems, ut saevum frigus adurat,  
 4 et stringit nimio quicquid ubique gelu.  
 5 Totaque consistant torpenti flumina cursu,  
 6 quasque prius navis jam rota vexet aquas.  
 7 At tibi perpetuam (quis possit credere) venam  
 8 eliquat in dulces Castalis unda modos.  
 9 Ergo tibi praesens aspiret Phoebus oportet,  
 10 et foveat medio te pia Musa sinu.

## AD UXOREM.

E7\_073 v.1 Quam legis e Friso tibi littera mittitur orbe,  
 2 qua bibit Amisias Ennosigaeus aquas.  
 3 Languidus Emdana qua nunc Ezardus in urbe,  
 4 heu frustra medicam tentat et optat opem.  
 5 Quae sit vita rogas, tenso nunc frigore stringor,  
 6 nunc ego fumosi solvor ab igne foci.  
 7 Quem defossa palus et bubula stercora pascunt,  
 8 et multo dives pisce culina scatet.  
 9 Quin liquidi potu me suffocare butyri,  
 10 officiosa volens sic fore turba, studet.  
 11 Quam praestat tenui tecum considerare mensa,  
 12 et solita tandem sobrietate frui.

## AD HERMANNUM LENTUM AURICANUM.

E7\_074 v.1 Si qua verus amor, si candida corda supersunt,  
 2 cumque pia constans religione fides,  
 3 et simplex probitas, simul omnis denique virtus,  
 4 dispeream pectus ni tenet illa tuum.  
 5 Hoc ego perpetuo testabor carmine, tu te  
 6 sic gere, ne mendax forte poeta ferar.

7 Ne mala corrumpant sanctos contagia mores,  
8 scis quales faciat quos fovet aula viros.

## AD IOANNEM BARBATUM.

E7\_075 v.1 Tam tibi propitiam qui sentis esse Minervam,  
2 ingenium docta quae colit arte tuum.  
3 Non hostem debes illius amare Dionen,  
4 haec duo non unus numina curat homo.

## AD EUMDEM.

E7\_076 v.1 Cum ne rara quidem sit in ipso mystace barba,  
2 dignum barbato qui tibi nomen habes ?

## AD PETRUM AEGIDIUM VALENTIANUM.

E7\_077 v.1 Thebanus quondam Amphion et Thracius Orpheus,  
2 traxerunt fidibus saxa nemusque suis.  
3 At qui Caesareas toties demulseris aures,  
4 plus illis constat te potuisse viris.

## AD IOANNEM HORNOMANNUM.

E7\_078 v.1 Quattuor Emdana menses meus hospes in urbe,  
2 tractatum facili me pietate foves.  
3 Pro qua nulla tibi praeter chartacea dona  
4 poscis, et ut musae sis quota fama meae.  
5 Si bona contigerint docti tibi carmina vatis,  
6 majores meritis assequerere vices.

## AD IACOBUM CANTERUM.

E7\_079 v.1 Pro bono medico malus Poeta  
2 quidam, nescio quis, volebat esse.  
3 In tanto fuit hoc honore nomen  
4 istis, quod male nunc jacet, diebus.  
5 Quas ergo modo me levare cristas  
6 putes, quaque superbia tumere ?  
7 Si te credulus audiam ferentem  
8 me bonum medicum et bonum poetam.  
9 Sed qui sim scio, quaeque sit facultas,  
10 domi mecum habito meae, nec extra  
11 me quaero, brevis est mihi supellex.  
12 Me ergo quando bonum vocas poetam,  
13 longe es maximus omnium poeta.

## AD REINHARDUM CARBONEM.

E7\_080 v.1 Candidiora omni cum sint nive pectora, quare

2                   cognomen fecit non tibi creta tuum ?

AD EUMDEM.

E7\_081 v.1       Qui laudata aliis placeat mihi Frisia quaeris,  
2                   non adeo male, si bos vel anas fuerim.

AD LAVARDUM.

E7\_082 v.1       Nostra ais aeterno Picis fore scripta pudori,  
2                   patratum Bernae quae cecinere scelus,  
3                   non puto, nam purgans jam monstris omnia Christus,  
4                   hoc quoque mox toto perdet in orbe genus.

IN PICTAM VERITATEM.

E7\_083 v.1       Quae diva virgo es ? Veritas, quae post duae  
2                   comites ? Simultas atque Persecutio.

AD IANUM CORNARIUM.

E7\_084 v.1       Te licet Arctous peregrinum contegat axis,  
2                   sunt tamen hic animi pignora multa tui,  
3                   scilicet egregii, doctissima scripta, libelli,  
4                   quos versans magni spem mihi sumo boni.  
5                   Ut quae foeda jacet caecis medicina tenebris,  
6                   efferat excultum te poliente caput.

AD TUNDALUM.

E7\_085 v.1       Si male vexatum curarim, Tundale, natum,  
2                   promissa est operae maxima summa meae.  
3                   Curavi, nec adhuc aliqua est mihi reddita merces,  
4                   immo putas quod sim debitor ipse tuus.  
5                   Candida quod magnum celebret me fama magistrum,  
6                   qui tantum dicar restituisse virum.  
7                   Omnibus et gemmis, omni pretiosius auro,  
8                   esse bonum nomen concinis usque mihi.  
9                   Id si teste refers et credis pectore, quare  
10                  vilia non mihi das et tibi cara tenes ?

IN IMAGINEM EOBANI HESSI.

E7\_086 v.1       Qui semel Hessiaci perspexeris ora Poetae,  
2                   non cujus quaeres haec sit imago viri.

IN SAXEUM MONACHUM.

E7\_087 v.1       Invisos Monachos haec turbida tempora perdunt,

2            quorum mox nullus conspiciendus erit.  
 3            Ut qua tamen, quales fuerint, monimenta supersint,  
 4            haec sub venturos stabit imago dies.  
 5            Tunc hac praeteriens dicet fortasse viator,  
 6            talia Romani monstra Baalis erant.

IN LUCRINUM BULLATUM DOCTOREM.

E7\_088 v.1        Quantus es ex bullis constas, Lucrine, magister,  
 2            et levis inflatum cor levat aura tuum.  
 3            Quis putet ergo tibi nullus quod spiritus insit,  
 4            immo meros ventos quis tua verba neget ?

DE CHRYSOPHILE.

E7\_089 v.1        Quod video monstrum ? Nudis est virgo capillis,  
 2            permolito meretrix inguine, Chrysophile.

IN LACTANTIUM.

E7\_090 v.1        Quoties tuos ostendis et mittis libros,  
 2            rogas meus qui, Corde, nam placet stylus.  
 3            Dicam tibi mea quae sit hic sententia,  
 4            non multum abest quin ipse sis Lactantius.

IN GRYLLUM.

E7\_091 v.1        Porcarium quod, Grylle, me medicum dixti,  
 2            aliquot subindignans diebus infrendi.  
 3            At dum mea nunc uteris febriens cura,  
 4            tranquillior defervet ira, quod tandem  
 5            verum sit hoc, quo me vocaveras, nomen.

AD PAPILUM.

E7\_092 v.1        Esse malos, quod ais, credo tibi, Papile, dentes,  
 2            nulla quibus fuerit nocte dieque quies.  
 3            Assiduus franget, luxabit et atteret usus,  
 4            vel duro factas ex adamante molas.

IN LYDIAM.

E7\_093 v.1        Cum juvenis vetulam vir anum te computat, inquis,  
 2            quattuor aetatis sunt modo lustra meae.  
 3            Credo, sunt crocei tibi dentes, hoc quia signum,  
 4            ante brevi natas tempore prodit equas.

## DE MALA REPUBLICA.

E7\_094 v.1 Qua lanius, pistor, caupo, danistaque regnat,  
 2 quae miseris illa civibus urbe salus ?  
 3 Tam felix horum respublica crescat oportet,  
 4 quale quod esuriens curat ovile lupus.

## DE AMANTIA.

E7\_095 v.1 Nullis uxor Apri terretur Amantia spectris,  
 2 in speculo didicit, ferret ut illa, suo.

## AD CONJUGEM.

E7\_096 v.1 Quod magis iste vorax aliis et avarior anser,  
 2 invidet positum praeripiatque cibum.  
 3 Prompta patet ratio, quia raso vertice calvet,  
 4 vis una totum pascere rade gregem.

## DE VALENTINO.

E7\_097 v.1 Post multa tandem vota totius plebis  
 2 defunctus e vivis abit Valentinus.  
 3 Tota sua qui pessimus fuit vita,  
 4 illud semel bonum moriens opus fecit.

## AD QUANDAM FEMINAM.

E7\_098 v.1 Ex viso lotio tua vis tibi pignora dicam,  
 2 nolo, tuos nisi tu dixeris ante viros.

## LINIMENTUM CONTRA SCABIEM.

E7\_099 v.1 Vis uno multam tolli medicamine psoram ?  
 2 Id scio, sed nullus pharmacopola dabit.  
 3 Si qua trilustris erit proba mente et corpore virgo,  
 4 illa det urinam, qua liniare suam.

## AD LANGUM.

E7\_100 v.1 Integra paulatim noscenti pectora vulgo  
 2 incipiunt mores, Lange, placere mei.  
 3 Candidiorque mihi placida offert ora senatus,  
 4 et redit inversa resque favorque rota.  
 5 Cum vocat hinc Hessi pellax me littera regis,  
 6 ut sustentandae dem quota fulcra scholae.  
 7 Quam non exiguo fertur modo ponere sumptu,  
 8 ad patrium musis providus ille Lanum.  
 9 Quid faciam ? Nullum scio quod dabit Hessia lucrum,  
 10 ut quae sit medicis non prius usa viris.

11 Nec quisquam patriae gratus solet esse prophetae,  
 12 si testis volumus credere verba dei.  
 13 At juvat hoc etiam tenuem sub principe Cordum,  
 14 et doctos inter vivere posse viros.  
 15 Sic pia religio, sic instituendaque proles,  
 16 atque calens Phoebi numine suadet amor.

### EURICII CORDI EPIGRAMMATUM LIBER OCTAVUS.

#### AD GEORGIUM STURTIUM.

E8\_001 v.1 Hic quoque tu prima mihi, Sturti, fronte legeris,  
 2 quando tuam tuleris primus amicus opem.  
 3 Dii faciant alias possem tibi reddere grates,  
 4 quam quod te vacuis ludo Poeta modis.  
 5 At rectum si iudicium tibi, sanaque mens est,  
 6 hoc supra cunctas munus amabis opes.  
 7 Tam carum clarumque nihil tegit arduus aether,  
 8 quin superet sacro carmine partus honor.

#### DE MARPURGENSI GYMNASIO.

E8\_002 v.1 "Romuleas ubi nos vidisset prendere technas  
 2 tristis, et ad Christum vertere corda, Satan,  
 3 nil agis armipotens, inquit, Germania, fallam  
 4 te tamen, ac alia fraude nocebo tibi."  
 5 Dixit, et ingenuas tacite mox abstulit artes,  
 6 ac odia in doctos movit acerba viros.  
 7 His ut sublatis paulatim pristinus error  
 8 surgeret, et pejus quam fuit ante chaos.  
 9 Id videt illustris praesaga mente Philippus,  
 10 et cavet erecta talia damna schola.  
 11 Hic ubi candenti Marpurgum prominet arce,  
 12 raucaque saxosi murmurat unda Lani.  
 13 Hic simul Aonides jam consedere sorores,  
 14 instauransque suas tendit Apollo fides.  
 15 Felicem patriam, sua si sapiens bona norit,  
 16 atque hac grata velit commoditate frui.

#### IN COCHLEAM.

E8\_003 v.1 Quod nequis astricolam pertingere, Cochlea, Christum,  
 2 turpis lubricitas cara domusque facit.  
 3 Haec quia congenitam nescit dimittere carnem,

4 pectus in hanc terram glutinat illa tuum.

AD OPEM.

E8\_004 v.1 Qui divina parens hic macro viscere langues,  
2 quae soleas aliis pinguior esse locis ?  
3 Ille mei populus quia major sanguinis hostis,  
4 quem perdit miseris nocte dieque modis.

DE PRINCIPE PHILIPPO.

E8\_005 v.1 Ut modo sic priscis pietas evanuit annis,  
2 divinique diu delituere libri.  
3 Quos templo inventos ubi rex Ammonia proles  
4 audiit, omne suo depulit orbe nefas.  
5 Turicremos Camares, stantesque per alta Baales,  
6 cunctaque non veri cetera sacra dei.  
7 Et veteres domino pius instauravit honores,  
8 et populum jussit vivere lege suum.  
9 Clarus idem nostra parat hac aetate Philippus,  
10 Hessiaci late cognita fama soli.  
11 Qui sapidus postquam cepit mysteria verbi,  
12 calva jubet terris cedere monstra suis.  
13 Et sincera Dei facit ut doctrina coruscet,  
14 puraque cum vera religione fides.  
15 Grata id posteritas aeterno concinet aevo,  
16 in supero divus cum sedet ille throno.

AD CIVES.

E8\_006 v.1 Miror quod vestros non funditus auferat hortos,  
2 cum tumido crescens effluit amne Lanus.  
3 Qui sita sublimi subiens cellaria monte,  
4 perdit per summos optima vina cados.

DE PAPA CA TELLO.

E8\_007 v.1 Ridiculo Papam dominus me nomine clamat,  
2 nam quis, quod summus sim pater iste, putet ?  
3 Ille potens Latia dominatur ab urbe tyrannus,  
4 et trahit in fiscum, quicquid ubique, suum.  
5 At nil ipse lucrans aliud nil verbera servus,  
6 carnigerum volvo clausus in orbe veru.  
7 Illi aurata nitent regali fercula luxu,  
8 et varium fundunt gemmea vasa merum.  
9 Vix mihi nuda datur quod rodo famelicus ossa,  
10 quaeque olet a lotis lancibus unda, bibo.  
11 Subjectis vehitur nitidus cervicibus ille,  
12 et quasi divino cultus honore sedet.  
13 Pone ego concomitans dominum sequor assecla Cordum,  
14 per medium, vector qua praeit ille, lutum.  
15 Ante tamen quam sim qualis modo dicitur ille,

16 sic miser aeternum vivere malo canis.

AD FRANCISCANUM.

E8\_008 v.1 Fictas Harpyias falsos cecinisse Poetas,  
 2 dicis, ut Arcadicum quae coluere lacum.  
 3 Sed manifesta fides patet omnibus undique terris,  
 4 quae modo vos tales ferre queruntur aves.  
 5 In solo erratum numero, non una trias vos,  
 6 immo quadringentae milleque myriades.

AD PRINCIPEM PHILIPPUM.

E8\_009 v.1 Vir solum Alcides cervum confecit et aprum,  
 2 maximaque ex illo fama labore manet.  
 3 Sed tu levis adhuc vicisti nuper ephebus,  
 4 non semel has plures, clare Philippe, feras.  
 5 Haec majoris erant tibi tunc praeludia laudis,  
 6 saeva magis monachos quod modo monstra domas.

DE PAPA CATELLO SE SCABENTE.

E8\_010 v.1 Heu, nova quae rerum facies, quae fata vicesque,  
 2 quae veterem mutat sors inimica statum ?  
 3 Omnibus horrendus qui terris ante tyrannus,  
 4 magnanimos potuit vincere Papa duces,  
 5 lataque conducto sibi milite regna subegit,  
 6 felices inter deliciatus opes.  
 7 Nescit ab infestis jam se defendere muscis,  
 8 ac hostes pulices non superare potest.

IN AMBITIUM PAETUM.

E8\_011 v.1 Cum tumidam misero gravis impleat hernia bursam,  
 2 nec secus ac trunco sit tibi grata Venus.  
 3 Formosam uxorem quae ducere causa coegit ?  
 4 Quod nequis, hoc Christus non tibi mandat onus.

IN EUMDEM.

E8\_012 v.1 Agnoscis tibi propitii miracula Christi,  
 2 quod coitu ramex non nocet ille tuo.  
 3 Mira magis res est, nullo quod concitus aestu,  
 4 sed timida tantum religione facis.  
 5 Sit tua quod digitus modo mentula, quale vel ictys  
 6 inguen habet, semen quaerimus unde tuum ?

AD DIACONOS.

E8\_013 v.1 Quod pauper male Phaedrus edit, pia munera poscit,



2 non date si sapitis, nam bibit ille bene.

DE PRINCIPE PHILIPPO.

E8\_014 v.1 Garrula non magis Alciden modo fama loquatur,  
 2 saecula plus fortem nostra tulere virum.  
 3 Qui millena domat simul uno monstra labore,  
 4 singula quae multa sustulit ille vice.  
 5 Quae veterum mendax illi tunc fabula vatam  
 6 finxit, in hoc laudat jam manifesta fides.

AD CLEMENTEM.

E8\_015 v.1 Mancus inutilibus manibus, pede scribit Alethes,  
 2 chirophragum Clemens qui dabit ille suum ?  
 3 Danda podographa vel tibi saltem autographa posce,  
 4 si rata seclusa nomina fraude voles.

IN PICTAM JUSTITIAM.

E8\_016 v.1 Quod nomen tibi ? Justitiae. Quid vult sibi libra ?  
 2 Unicuique suum sedula pendo viro.  
 3 Cur caeca es ? Nullam personam respicio. Quid  
 4 quod neutram mancae conspikor esse manum ?  
 5 Oblatum nihil accipio. Cur trita lacerna est ?  
 6 Nulla rei est, alios dum beo, cura meae.  
 7 Unde tot in toto liventes corpore plagae ?  
 8 Ex omni virgis cedor ubique loco.

AD ATREUM.

E8\_017 v.1 Tres, Atreu, lepores mihi dedisti,  
 2 et tot prandia, totque forte cenas,  
 3 sperans me fore partium tuarum.  
 4 Sed tandem tibi libere fatebor,  
 5 quae mens sit mea, quae sit et voluntas,  
 6 ista hoc nomine dona perdidisti.  
 7 Des omnes ut opes tuas, et ores  
 8 per quamcumque etiam sodalitatem,  
 9 injustae nequeo favere causae.  
 10 Nescit saxea veritas moveri.

AD ORTHUM.

E8\_018 v.1 Objecto infesti certarunt osse catelli,  
 2 Orthe, tuus Caesar nomine, Papa meus.  
 3 Sed meus occubuit, tuus osse potitus abivit,  
 4 hoc ita non vanum tam levis omen habe.  
 5 Nam dominis victor Clementem Carolus armis  
 6 supprimet, et Latias mox sibi subdet opes.

## IN COLACEM SACERDOTE M SPONSUM.

E8\_019 v.1 Factam ex mero nobis Colax aquam ponis.  
 2 Postquam gravem tot aureis habes pelvim,  
 3 suumque nostri quisque contulit munus.  
 4 Non credimus, quod garrulus toties jactas,  
 5 praesente nuptias tuas fieri Christo,  
 6 factum nisi ex aqua statim merum reddas.

## AD HERMANNUM BUSCHIUM.

E8\_020 v.1 Hesternas nisi relliquias, suavissime Buschi,  
 2 jamque bis appositum tempseris esse cibum,  
 3 pransurus mecum propere conviva venito,  
 4 cum toto Charitum Pieridumque choro.  
 5 Quandoquidem cari mihi tres venere sodales,  
 6 qui vultus cupiunt posse videre tuos.  
 7 Oblectet tuus his doctas saltem lepor aures,  
 8 cum varia nequeam lauta palata dape.

## DE GLABRO.

E8\_021 v.1 Tres vestrum dixi, negat hoc Glaber esse Latinum,  
 2 hic alios, quae non noverit ipse, docet.

## AD CONSTANTIENSES.

E8\_022 v.1 Accipit octo tuus Constantia milia praesul,  
 2 ex genitis sacra virginitate nothis.  
 3 Et mirare suos uxores ducere rasos  
 4 quod vetet, haec leno perdere lucra cavet.

## DE MARPURGENSI GYMNASIO.

E8\_023 v.1 His ubi tot passim veteres cecidere diebus,  
 2 magna novas res est instituisse scholas.  
 3 Id tamen Hessiacus divino numine Princeps  
 4 jam parat, et doctos perpetuare viros.  
 5 Nam videt exiguo recidivum tempore verbum,  
 6 hae nisi continuo sustineatur ope.  
 7 Tam bene de profugis meritum ergo heroa Camenis,  
 8 musica certatim carmine turba vehe.

## AD UXOREM.

E8\_024 v.1 Hunc mirare frequens populum committere stuprum.  
 2 Auctores habet, id qui docuere, deos.  
 3 Hic quia cum juncta permixtum Naiade Bacchum,  
 4 nulla conjugii lege coire videt.

## DE PHRYGE.

E8\_025 v.1 Tam bene Rhetoricam Phryx declamavit in artem,  
 2           discipula ut fugeret tota repente cohors.  
 3 Nullaque persuasas possit palinodia mentes,  
 4           ad praeceptorem post revocare suum.

## IN IMPOSTOREM MEDICASTRUM.

E8\_026 v.1 Multas sed vacuas video tibi pyxidas esse,  
 2           praeter, quae primo trita stat una loco.  
 3 Unde, velut tibi dives eam Pandora dedisset,  
 4           expromis medicae quicquid ubique rei est.  
 5 Hac condi puto quod Smyrnaei Musa poetae,  
 6           omnigenis morbis utile moly canit.

## AD NAEVOLUM.

E8\_027 v.1 Inter cetera quae Marpurgi commoda jactas,  
 2           esse bonam vere, Naevole, dicis aquam.  
 3 Hoc ipso quoniam quo vinum venditur aere,  
 4           et bibit hanc fulvis incola turba scyphis.

## LAUS BUSCHIANI VINI.

E8\_028 v.1 Si mera sunt usquam Marpurgi vina, bibuntur  
 2           in Buschianis aedibus.  
 3 Nam velut integer est incorruptusque vir ille  
 4           sincera sic amat omnia.  
 5 Cetera cuncta fere fatuam cellaria vappam,  
 6           quales habent dominos, tenent.

## AD ORTHUM.

E8\_029 v.1 Quod rabidos crebro dentes in carmine figo,  
 2           ut tibi sic ipsi non placet, Orthe, mihi.  
 3 Sed quid agam ? Rarum quod laude vehatur honestum est,  
 4           carpendi passim maxima lerna vice.  
 5 Jamque meos longo novisti a tempore mores,  
 6           quod nec adulari, nec scio falsa loqui.

## AD FUSCUM.

E8\_030 v.1 Ferales nescis Paetum posuisse cucullos,  
 2           gestus et mores aspice, Fusce, scies.  
 3 Compositis palmis, obstipoque omnia collo  
 4           dicit, et, ut didicit funiger ante, facit.  
 5 Hoc reor uxori quod reddat debita gestu,  
 6           tam plenus sancta religione vir est.

## AD ANNAM.

E8\_031 v.1     Esse tibi nullum jamdudum dicis acetum,  
           2           fecisses, ipsos dum coquis, Anna, cibos.  
           3     Sic jejuna diu quando convivia differs,  
           4           ne sale credo quidem tunc opus esse tibi.

## DE PAPA CATELLO.

E8\_032 v.1     Hic melior Papa est, Latiam quam qui tenet urbem,  
           2           nam sequitur dominum, quem fugit ille, suum.

## AD LEVINUM EMDENUM.

E8\_033 v.1     Consulto mea musa dic Levino  
           2     millena vice plurimam salutem,  
           3     et si te quid agam, rogabit, inque,  
           4     me factum agricolam hic et hortulanum  
           5     sumpto saepe ligone rusticari,  
           6     ac inter Dryadasque Oreadasque  
           7     et gratas pariter mihi Napaeas  
           8     vitam ducere suaviter beatam,  
           9     gaudebit, scio, gratulabiturque,  
          10     nam me non secus ac suos ocellos  
          11     post caram sobolemque conjugemque  
          12     inter praecipuos amat sodales.

## AD CONJUGEM.

E8\_034 v.1     "Da quod edam, conjunx", hoc me sub vespere jussit,  
           2           ad cenam propere Scala venire suam.

## IN FORES GYMNASII MARPURGENSIS.

E8\_035 v.1     Suspicis hac subiens sublimia tecta, viator,  
           2           quae, ne forte roges, quis colat hospes habe.  
           3     Haec dedit Hessorum princeps habitanda Philippus,  
           4           Aonio sancta cum pietate choro.  
           5     Expulit hinc Latii spurcissima monstra Baalis,  
           6           ante profanus erat, nunc sacer ille locus.

## ALIUD IN EASDEM.

E8\_036 v.1     Foedus Phineadam nidus fuit ante volucrum,  
           2           sed fovet Aonias nunc domus illa deas.  
           3     Grata tuo meritas domino cane patria laudes,  
           4           qui novus hac Calais te modo peste levat.

## AD PRINCIPEM PHILIPPUM.

E8\_037 v.1 Magnifica aedificent alii miracula reges,  
 2 quae stupeat vana postera laude dies.  
 3 Tu solitos hortor miseris dispendere sumptus,  
 4 et populum clemens perge juvare tuum.  
 5 Hoc dignum Christo, et vere laudabile factum,  
 6 immo boni proprium principis officium.

## DE GLAPIONE.

E8\_038 v.1 Mortuus ut Stygias Glapion descendit ad undas,  
 2 magnus vicino motus in orbe fuit.  
 3 Exsiliit tanto quia monstro libera tellus,  
 4 sed pavidae Ditis contremuere domus.

## DE EODEM.

E8\_039 v.1 Excedens Glapion bis centum milia liquit,  
 2 quis sic mendicus non velit esse Midas ?

## DE EODEM.

E8\_040 v.1 Romani dominum toties qui vendidit orbis,  
 2 innumeras Glapion accumulavit opes.  
 3 E quibus ad tristes non tantum detulit umbras,  
 4 portitor ut caperet debita naula Charon.  
 5 Nunc Franciscani tandem praescripta cuculli,  
 6 quod vivus potuit non prius, ille tenet.

## IN HIATUM GRANATAE EX TERRAEMOTU FACTUM.

E8\_041 v.1 Factus hic est quando Glapion moreretur hiatus,  
 2 quo steterant olim sacra sepulchra loco.  
 3 Hac malus ille Satan patrias remeavit ad umbras,  
 4 dum geniti nollet lumina ferre dei.

## AD LECTOREM.

E8\_042 v.1 Quis nam sit nostro Glapion in carmine quaeris,  
 2 ne dubites, Caesar Caesaris ille fuit.

## AD PRINCIPEM PHILIPPUM.

E8\_043 v.1 Cum tali felix populus, te principe, degat,  
 2 ut nullus simili nec meliore Lacon.  
 3 Quid poscat cupidis ultra haec sua commoda votis,  
 4 quam longos ut te posset habere dies ?  
 5 Utque quod ex alto tibi contulit aethere, donum  
 6 et velit aeternus perpetuare deus.

## AD GALLUM.

E8\_044 v.1 Gallus es, et quavis leviter converteris aura,  
 2 insuper in summo vis residere loco.  
 3 Et cupis ut magno te suspiciamus hiatu,  
 4 ac verum vatem consulat omnis homo.  
 5 Quam dignam tibi dent templi pinnacula sedem,  
 6 et voti fieres compos, amice, tui.

## AD DECIUM.

E8\_045 v.1 Quod vocitare meum possim, miraris, amicum,  
 2 qui cupit infami me periisse nece.  
 3 Proditor a Christo sic appellatur Iudas,  
 4 cur simili similem non ego voce vocem ?

## AD GARGILIANUM.

E8\_046 v.1 Te quoties quaero toties exisse foras te  
 2 prospiciens dicit, Gargiliane, puer :  
 3 "Qui tibi vult aliquid, foris ut te prendaat oportet,  
 4 namque domum ingressus non eris inde domi."

## AD EUMDEM.

E8\_047 v.1 Non nego, quod sacra populo tu dicis in aede,  
 2 mille resurgentis corpus inesse locis.  
 3 Cum mortalis idem possis homo, terrea moles,  
 4 namque domi residens es simul ipse foris.

## DE HERMETE.

E8\_048 v.1 Indoctum medicum tentans ut rideat Hermes,  
 2 exhibet in clauso condita vina vitro.  
 3 Et rogat iste, sibi dici, qui langueat aeger,  
 4 ille refert, tentae sub cute plenus aquae.  
 5 Quid tua Sardinio sic distrahis ora cachinno ?  
 6 Verius hoc numquam iudicium ille tulit.

## AD PRINCIPEM PHILIPPUM.

E8\_049 v.1 Rusticus ex figulo quondam genitus Maro patre,  
 2 perpetuos vivit maxima fama dies.  
 3 Tale tulere decus, tantas pepulereque sordes  
 4 muneribus Phoebus Pieridesque suis.  
 5 Amissos meruit non multis versibus agros,  
 6 ac alias, aula deinde receptus, opes.  
 7 Proximus Augusto post consiliarius haesit,  
 8 et plus quam summo carus amore fuit.

9 Tam non improba vota mihi, nec stulta cupido est,  
 10 hac ut et evectum me fore sorte velim.  
 11 Immo bonis bonus ut tantum sis artibus oro,  
 12 et doctos facilis contueare viros.

## AD UXOREM.

E8\_050 v.1 Ocima sevisti, veniunt zizania, quare ?  
 2 Istius haec vis est, hic geniusque soli.  
 3 Non illo sinit is nasci bona semina tractu,  
 4 sic satus hic Christus pullulat ipse Satan.

## AD RUFFUM.

E8\_051 v.1 Cum Latia ignotus latitarem nuper in urbe,  
 2 uni me volui credere, Ruffe, tibi.  
 3 Quod cum Germano sis sanguine mata propago,  
 4 speraram patriae te meminisse tuae.  
 5 Sed dubiae bene consuluit fortuna saluti,  
 6 quod tua non oculis obtulit ora meis.  
 7 Postquam Romano video te vivere more,  
 8 Christicolasque neci tradere velle viros.  
 9 Summa sit impietas ac ultima meta necesse est,  
 10 nulla magis fertur Teutonis esse fides.

## AD MARTINUM LUTHERUM.

E8\_052 v.1 Non magis incestae mala scribas nomina Romae,  
 2 divulgesque libros, magne Luthere, libris.  
 3 Tres tantum Patricos uni dat Papa galero,  
 4 nunc igitur castos non reverere patres ?

## AD EOBACCHUM.

E8\_053 v.1 Impia Romanos quid conciliabula dicis,  
 2 quae nullum timeant esse putentque deum ?  
 3 En modo cum sancto decrevit Papa senatu,  
 4 non animas nostras post sua membra mori.

## AD EOBANUM PROCUM.

E8\_054 v.1 Me quoties visis dicta acceptaque salute,  
 2 festinas alio, meque valere jubes.  
 3 Sic quoque gustatis Nili canis aufugit undis,  
 4 numquid ut hinc abeas huc, Eobane, venis ?

## AD GERILACUM VIGANDUM.

E8\_055 v.1 Inter praecipuos mihi sodales  
 2 non extrema, colende, pars, Vigande,

3 quem fidum mea saepe res amicum  
 4 sensit, quem Clariae colunt sorores.  
 5 Natorum ecce duos tibi meorum,  
 6 hunc gaudentem equitare Lucianum,  
 7 illum plus studio et libris Philippum,  
 8 dignos nominibus suis ephebos.  
 9 Si mutent ea mutuo, rogabis  
 10 quid portent, nihil, immo te petitum  
 11 adventant, neque credo te negare  
 12 promissam toties mihi capellam,  
 13 quae plenas referat domum papillas,  
 14 enixam quia jam puto, et dedisse  
 15 novae spem sobolis duos gemellos,  
 16 quibus cum mea lusitet puella,  
 17 cur illud mihi sit pecus pudori,  
 18 quod summo ubera praebuit tonanti ?

## AD PRINCIPEM PHILIPPUM.

E8\_056 v.1 Morus, et is monachus, verbique acerrimus hostis,  
 2 praeceptor fuerat, clare Philippe, tuus.  
 3 Tu tamen absimilis nihil hunc imitaris alumnus,  
 4 qui sapis et pius es, rashaque monstra fugis.  
 5 Certum igitur facili genio fautoreque Christo  
 6 hoc tibi doctorem cor tribuisse deum.

## AD HERMANNUM BUSCHIUM.

E8\_057 v.1 Non satis Aonios quod dat tibi Musa lepores,  
 2 dat lepores etiam virgo Diana suos.  
 3 Quis putet incestam, Buschi, te ducere vitam,  
 4 casta cui facili numina dote favent ?

## AD EUMDEM.

E8\_058 v.1 Si potes arta pati miseri gurgustia Cordi,  
 2 mox ades et leporem sparge lepore tuum.

## AD DECIUM.

E8\_059 v.1 Offert egregiam facilis tibi Juno puellam,  
 2 tu tamen hanc dubia ducere mente times.  
 3 Iratam cave ne facias tibi, suadeo, divam,  
 4 ne semel infelix ut scarabaeus agas.  
 5 Qui per odoriferum tot flores transvolat agrum,  
 6 in foedum sidens decidit inde fimum.

## AD CAPUM.

E8\_060 v.1 Ad me quae tibi litterae feruntur  
 2 tamquam ad te fuerint datae resignas,



3 et paetum male te videre deinde  
 4 causaris, veniamque deprecaris.  
 5 Verbis forte fidem tuis haberem,  
 6 donaremque tibi, nisi queratur  
 7 factum multus idem sibi sodalis.  
 8 Qui Lynceus alias vides acutum,  
 9 in cunctis tibi prospicisque rebus,  
 10 hic te Phinea et Oedipum putemus ?  
 11 Si posthac male sic videre pergis,  
 12 ne juxta male et audias caveto.

## AD PLAUTUM.

E8\_061 v.1 Num tua vina putem stupido vilescere vulgo ?  
 2 Qui miror quod non plus ea cara licent.  
 3 Cum fuerim multis toties expertus in aegris,  
 4 certa quod adclausas sint medicina febres.

## APOPHTHEGMA MORIONIS.

E8\_062 v.1 Quidam morio, cum suum videret  
 2 tristari dominum, rogare causam  
 3 coepit, cui simulans jocansque Princeps :  
 4 "Sum, respondit, inops pecuniarum."  
 5 Tum sic morio : "Magnus uspiam Abbas  
 6 fias, aut tuus esto tute quaestor."

## DE GUNTERO.

E8\_063 v.1 Scribens Ausonia Gunterus ab urbe salutat  
 2 omnes affines congeneresque suos.  
 3 Praeter, qui rabidi sectatur dogma Lutheri,  
 4 hunc jubet aeternos ille valere dies.  
 5 Scilicet hoc tam cordatum sine fraudeque pectus,  
 6 in mores potuit vertere Roma suos.  
 7 Sic lyricum constat recte cecinisse prophetam,  
 8 cum pravis fies pravus et ipse viris.  
 9 Qui cupis ergo pius Christo te dedere cultor,  
 10 quam potes hac properans e Babylone fuge.

## AD MARCUM.

E8\_064 v.1 Appositae quoties gustat Matho pocula lorae,  
 2 se meliora umquam musta bibisse negat.  
 3 "Corruptum credas, sed non est, Marce, palatum,  
 4 sic amat assuetas quilibet anser aquas."

## DE CONSO.

E8\_065 v.1 Interrogatus hospes an senem Consum  
 2 cognosceret, respondit : "Is mihi est socrus."

3 Non barbare, sed dixit ille Romane.  
 4 At quo modo, qua regula, roges, non est  
 5 suae vir immo Consus uxor uxoris.

## DE EPIGRAMMATIS SUIS.

E8\_066 v.1 En mea nocturni rodunt epigrammata mures,  
 2 non sapit, haec quisquis lector amara putat.

## IN CUPIENUM.

E8\_067 v.1 Hanc ubi mendicus venit Cupienus in urbem,  
 2 a patriae profugus sedibus erro suae,  
 3 annua viginti fuerat stips pacta coronae,  
 4 hac se tunc Phrygium credidit esse Midam.  
 5 Inde quadraginta, sexaginta inde poposcit,  
 6 mox centum, nec adhuc est satiata sitis.  
 7 Non contentus erit, quamvis tria milia dentur,  
 8 qualis erat, nondum desiit esse lupus.

## AD PLAUTUM.

E8\_068 v.1 Maxima suspicio est magicas quod noveris artes,  
 2 tres coemens vini sex facis inde cados.

## AD HERMANNUM BUSCHIUM.

E8\_069 v.1 Mecum, nobilis et diserte Buschi,  
 2 luge, fle, lacrimare, condoleque  
 3 indignas miseri vices Cratonis,  
 4 quem sanctissimus ille gloriator,  
 5 crudeli nimium severitate  
 6 exsecrabilem abominationem  
 7 inferno modo destinavit Orco.  
 8 Quod tam grande, roges, scelus patrarit,  
 9 cujus pura fides piisque pectus  
 10 cunctis notuit Hessiae colonis,  
 11 in sanctum grave spiritum profecto,  
 12 quod nec, mille licet sacris litetur,  
 13 praesens nec veniens dies remittit,  
 14 quod ? Nos ille colit suos amicos.

## AD ORTHUM.

E8\_070 v.1 Orthe, vir hic, rabidum quem tu jam forsan Oresten,  
 2 atque sua captum Penthea mente putas,  
 3 se sacri plenum fert numinis esse prophetam,  
 4 qui negat hoc, Stygii est filius ille Jovis.

## DE GALBULA.

E8\_071 v.1 Forte rogatus heri vinum mihi Galbula misit,  
 2 gustandam heminam de meliore cado.  
 3 Quam puer ut subito diffunderet impete Davus,  
 4 e pleno saliit gobiis ecce scypho.  
 5 Quid me falsa putas lector mendacia faris ?  
 6 Natali potuit vivere piscis aqua.

## EPITAPHIUM MISSAE.

E8\_072 v.1 Praeteriens hospes vacuum mirere sepulchrum,  
 2 et quae nam maneat funera forte roges.  
 3 Cunctorum genitrix et nutrix Missa malorum  
 4 debuit hac condi, dum moreretur, homo.  
 5 E nostro tamen haec adeo disparuit orbe,  
 6 ut reliquum videas illius esse nihil.  
 7 Hinc aegrum patulo Papatum exspectat hiatu,  
 8 fallere quem simili nos ratione velim.

## AD QUEMDAM FUSOREM.

E8\_073 v.1 Hactenus hic omnes vos stannea fundere vasa,  
 2 temperet ut plumbi septima libra, refers.  
 3 Sat bona materia est, credo, sed non bene mixta,  
 4 externa tantum plumbea parte patent.

## AD ACHANTUM.

E8\_074 v.1 Languidus esse tibi zythus num creditur ille ?  
 2 Ipsi qui cursu certet, Achante, Lano.

## IN EFFIGIEM PRIN. PHILIPPI.

E8\_075 v.1 Hic est ille tuus bellatrix Hessia Princeps,  
 2 apta cui ad pacem mens et ad arma manus.  
 3 Inclutus illustri majorum gente Philippus,  
 4 stemmatis aeternus splendor honosque sui.  
 5 Quanta vide ingenua majestas fronte renidet,  
 6 quam pius humano vultus in ore sedet.  
 7 Quodque supercilium terret, quae gratia ridet,  
 8 ceu mixti Charites, Mars et Apollo forent.  
 9 Quis non intutus veneretur ametque colonus ?  
 10 O felix, dominus cui suus ille, solum.

## AD PLANCUM.

E8\_076 v.1 Falsa cave nobis per lusum nomina fingas,  
 2 pro factis demus ne tibi vera tuis.

## AD DRUSUM.

E8\_077 v.1 Sex feni totidemque, Druse, fasces,  
 2 et ter quinque datae cubos avenae  
 3 pro meo mihi computas caballo,  
 4 non tota est ratio, deest quod addas  
 5 ipsum nempe fimum, quod aedit idem  
 6 jejunos biduo meus caballus.

## AD SALINUM.

E8\_078 v.1 Quattuor assiduis haeserunt litibus annos  
 2 hinc dives Thamyras, indigus inde Lycon.  
 3 Quaeris uter vicit ? Quasi non, quod jus sit in armis,  
 4 et spretus jaceat pauper ubique, scias.

## APOPHTHEGMA.

E8\_079 v.1 Duae suum neptes avum salutatum  
 2 venere, quas blanda senex facie accepit.  
 3 Illae, rogatus, quae puellulae ? Dixit :  
 4 "Haec filiae est scio, illa filii credo."

## AD ALDUM.

E8\_080 v.1 Factum te dicunt praefectum, sancte sacerdos,  
 2 gratulor agricolis terque quaterque tuis.  
 3 Quod salva, sibi quam sperant post fata, salute,  
 4 solas illorum depopularis opes.

## AD LAMPRIDIUM.

E8\_081 v.1 Magnificos titulos tibi, conspicuamque salutem  
 2 poscis, et in primo vis residere loco.  
 3 Illos non tibi, sed verbo cupere inquis honores,  
 4 cujus praecipuam te profiterere tubam.  
 5 Credo, sed impatiens, et avarus, et invidus idem es,  
 6 haec age quid talis nomina laudis habent ?  
 7 Feralem licet exueris de fronte cucullum,  
 8 qui tamen ante fuit corde manet monachus.

## IN AMBITUM.

E8\_082 v.1 Ambitus quod non damus, indignaris, honores,  
 2 quis, sibi praereptum quod videt esse, dabit ?

## AD PAETUM.

E8\_083 v.1 In libris quaecumque meis ego crimina taxo,  
 2 non secus ac in te sint ea dicta rapis.

3 Istote te sontem facis incautissime pacto,  
 4 indicioque reus proderis esse tuo.  
 5 In multos roto saxa canes, quicumque feritur,  
 6 se querulo latrans indicat ille sono.

## AD CAPONEM.

E8\_084 v.1 Expertissimus omnium magister  
 2 vis dici simul et Capo videri.  
 3 Hoc vere facis optimoque jure,  
 4 expertissimus omnium es magister.

## DE CAMILLO.

E8\_085 v.1 Intrat languida sentio senectus,  
 2 caligant oculi mei, quia inter  
 3 extremos male judico colores.  
 4 Omni qui pice sepiaequo succo est,  
 5 et fuligine nigrior Camillus,  
 6 erranti est mihi candidus putatus.

## AD EUMDEM.

E8\_086 v.1 Falsum nomen habes, sed esse verum  
 2 hac posset ratione, si supremas  
 3 quae sunt ante duas gemella lambda  
 4 truncentur, coeantque parte summa,  
 5 ut "Ni" fiat, et inde tu Caminus.  
 6 Quare sic potius voceris audi,  
 7 apparente foris colore candes,  
 8 at fuligine plenus intus horres.

## AD DARDANUM.

E8\_087 v.1 Quae bona sunt creta, contra carbone notanda,  
 2 illaudata et quae sunt mala, vulgus ait.  
 3 Optima sint igitur tua, Dardane, vina necesse est.  
 4 Quae duplici creta bis soluenda notas.

## AD MATHIAM HERDENIUM.

E8\_088 v.1 Sanctarum, Herdeni, tua saepe peritia legum,  
 2 obtinuit causam jure favente meam.  
 3 Nullaque patronae voluisti praemia linguae,  
 4 imo majorem pollicitaris opem.  
 5 Ut memor hoc sciat officium sine fine vetustas,  
 6 jussit in Aonios Musa referre modos.

## AD HIARBAM.

E8\_089 v.1 Elatum qui te dicit mentitur Hiarba,  
2 omnis, ut elatus sis, quia turba cupit.

## IN CITHARAM.

E8\_090 v.1 Doctos fides decent viros,  
2 quas dum recusasset, statim  
3 putatus est indoctior  
4 doctissimus Themistocles.

## DE MELANTHIO.

E8\_091 v.1 Impius Ampullae fuit ante Melanthius, at dum  
2 jam data vacca, sacro est sanctior ille Petro.

## IN IMAGINEM IOANNIS BALTHERI.

E8\_092 v.1 Hac se casta domi solatur imagine conjunx,  
2 Baltherum quando non habet illa suum.  
3 Cui similes quoties videt esse per omnia vultus,  
4 exspectat vivi mutua verba viri.

## AD PRINCIPEM PHILIPPUM.

E8\_093 v.1 Es florens aetate puer, clarissime Princeps,  
2 sed vincis canos mente manumque viros.  
3 Imo te servata pium vocat Hessia Patrem,  
4 et colit Augustum Musica turba suum.  
5 Pulchrius hoc decus est, quam si porrecta tyrannis,  
6 omnes subjiciat totius orbis opes.

## AD COLLEGAS PROFESSORES.

E8\_094 v.1 Vos omnes rogo candidi sodales,  
2 et sacri quot in hac schola Poetae,  
3 collegaeque mei, et pares amici,  
4 cum summo profitemini favore.  
5 Tu primum, integer eloquensque Sneppe,  
6 sacrae praecipuum decus cathedrae,  
7 post hunc inclute stirpe et arte Buschi,  
8 et tu Caesareo perite jure  
9 Ferrari, atque diserte Lonicere,  
10 Graiarum nova fama literarum,  
11 Hebraeaeque Sebastiane linguae,  
12 et clarissime tu, Deci, simulque  
13 omni felle carens Renarde, tuque  
14 Asclepi, et Proce, ceterique cuncti  
15 ingens copia, principem Philippum  
16 dignum heroa perennibus Camenis,

17       mecum Pierio levate cantu,  
 18       exemplumque sequi meum studete,  
 19       imo divite me praeite vena.  
 20       Tantum est grande nefas virum taceri,  
 21       cujus praesidio pioque fotu  
 22       doctae jam melius canunt Sorores.

## AD QUEMDAM AMICUM.

E8\_095 v.1       Quod non hoc quoque te videas in carmine saevis,  
 2               quo nostrae quaedam nomino membra scholae,  
 3       cum tamen hic summus, quod ais, primusque professor,  
 4               deberes illo maxime honore coli.  
 5       Parce, precor, solos versu prosaque valentes  
 6               huc cito, quos inter num cupis esse viros ?  
 7       Illis qui studiis acerrimus hactenus hostis,  
 8               entheus assurgas ad graviora sophus.  
 9       Si tamen hoc adeo cupis innotescere pacto,  
 10              in libris etiam deinde legere meis.

## IN INGRATUM DISCIPULUM.

E8\_096 v.1       Doctis omnibus a viris probatus  
 2               ut doctissimus ille Lonicerus,  
 3       indocto tibi non placet tironi ?  
 4       Hoc quis iudicium malignus hostis  
 5               nostri Gymnasii invidente corde  
 6               suggessit ? Neque enim tua Minerva  
 7               id prodit, puto, qui quod inter alba  
 8               sit discrimen et atra non prendis.  
 9       Forsan subdolus ille Gallograecus  
 10              ingratus sciolus suis magistris,  
 11              largitisque stipem piis amicis ?  
 12       Huic, quicumque sit ille, ut obsequaris,  
 13              contemne, et satur invide, licebit,  
 14              mendaci modo pone frena linguae.

## IN GALLOGRAECUM.

E8\_097 v.1       "Nullum, quod scabie scateas, causabere victum,  
 2               est alia illius quae mihi causa patet.  
 3       Temnere te nostras audivit Apollo Camenas,  
 4               et Marpurgiacae non bene velle scholae.  
 5       Id patiens aegre deus, haec qua crimina poena  
 6               ulciscar, quis erit sat cruciatus, ait ?"  
 7       "Quas ego, quas socius chorus et Tritonia sedes  
 8               incolit, et tanti candida turba viri,  
 9       tu miser infami conspergis homuncio labe,  
 10              et mea non alio pectore dona capis ?"  
 11       Dixit, et ex alta voluit te glubere pinu,  
 12              stultitiae tulit haec Marsya fata suae,  
 13       vidit id assistens pro teque Minerva rogavit,  
 14              ac fatuo dixit "Parce, precor, Babyi."

15 Tum deus, haud impune tamen mihi prorsus abibit,  
16 servatam vexet pessima psora cutem.

## AD IOANNEM FICINUM.

E8\_098 v.1 Editus ex atavis Maecenas regibus olim,  
2 se dignas habuit principe dives opes.  
3 Utque tui jam nunc te cernimus esse Philippi,  
4 Caesaris ille sui gratus amicus erat.  
5 Cum multis tamen hoc aliorum milibus aevo,  
6 Lethaeis tacitus forte lateret aquis.  
7 Ni sacri meritum celebrassent carmine vates,  
8 esset et Aoniis condita fama libris,  
9 Perge igitur profugas, Ficine, juvare camenas,  
10 quaeque novae datus es siste columna scholae.  
11 Sic ultra supero quod divus in aethere vives,  
12 hic tuus aeterna laude vigebit honor.

## AD HERMANNUM DORNBERGIUM. MUSAS ALLOQUITUR.

E8\_099 v.1 Quis novus hic cultus, quae tanto gaudia plausu,  
2 Aonides, quonam tenditis ire, deae ?  
3 Debentem cervis nomen properamus ad arcem  
4 insignem fabrica stemmatibusque domum.  
5 Nobilis hic Dornbergiacis majoribus heros,  
6 convivas dudum nos cupit esse suas.  
7 Post clarum multis ex milibus ille Philippum,  
8 unicus est nostri cultor honosque chori.  
9 Cetera nos hominum faex aversatur et odit,  
10 proque sua rabie barbariaque fugat.

## AD EUMDEM.

E8\_100 v.1 Aoniae montes, silvas et lustra Sorores,  
2 sed magis efflati numina cordis amant.  
3 Non igitur mirare quod hae tua tecta frequentant,  
4 pro votis quia habent, teque locumque suis.

## AD PHILIPPUM MELANTHONEM PRO EODEM.

E8\_101 v.1 Admirande Philippe mi Melanthon,  
2 praestans Albicolae decus palaestrae  
3 tantae laudibus eruditionis.  
4 Quidam sanguine litterisque clarus,  
5 sincerae pietatis atque recti  
6 adsertor, lepidissimus bonorum  
7 congerro, gravis hostis impiorum,  
8 felix conjuge, prole, rebus heros,  
9 Dornbergis sata patribus propago,  
10 splendens fama suae nitorque gentis,  
11 Hermannus Clariae cohortis hospes,  
12 Cervinum colit hoc in orbe montem,



13 insignem fabrica situque sedem.  
 14 Hic te Pierio calens amore  
 15 minatur, stupet, uniceque quoddam  
 16 ceu numen, veneratur, osculatur,  
 17 virtutesque tuas, tuasque dotes,  
 18 te magnus quibus obruit creator,  
 19 pleno provehit inquietus ore.  
 20 Illud te volui, Philippe, scire,  
 21 ut, si quando per otium vacarit,  
 22 et fidos habeas tabelliones,  
 23 huic scribas, et eum benignus inter  
 24 vel primos numeres locesque amicos.  
 25 Fauces Taenariae mihi dehiscant  
 26 si non dignus hic est tuo favore.

#### EURICII CORDI EPIGRAMMATUM LIBER NONUS.

##### AD GEORGIUM STURTIUM.

E9\_001 v.1 Dic, intonse, mihi, qui conspicias omnia, Phoebe,  
 2 Maecenas quid agat Sturtius ille meus,  
 3 qui valeat, toto quod non mihi mittitur anno,  
 4 crebra solens istinc ante venire salus.  
 5 Num tuus ille tuo cultor sub numine languet ?  
 6 Fac salvum doctis hunc tueare viris.  
 7 Utque sacro aeternum sanxisti carmine nomen,  
 8 integra sic medica pyxide membra fove.

##### AD IOANNEM RUUM NORDECCENSEM.

E9\_002 v.1 Cum legerem lacer is disjecta epigrammata chartis,  
 2 inque librum vellem scribere quaeque suum.  
 3 Increpitante lyra, curvoque apparuit arcu,  
 4 et vellens aurem sic mihi Phoebus ait :  
 5 "Num tantum poteris committere, perfide, crimen,  
 6 haec, tibi quod faciles, gratia, dicto modos ?  
 7 Quod, cum non dignos toties celebraris amicos,  
 8 nullus adhuc cepit, vel breve lemma, Ruus.  
 9 Qui mea prosequitur flagranti munera voto,  
 10 atque patrocinio provehit usque suo.  
 11 Si nescis illo pius instigante Philippus  
 12 hic profugum sistit meque chorumque meum.  
 13 Servandisque suos doctis instaurat honores,  
 14 hac magnis posita sumptibus urbe schola.

15 Pro tantis meritis, si quid sacra carmina possunt,  
16 mando Ruum celebri vivere laude meum.

## AD GEORGIUM NUCLEUM DE URO.

E9\_003 v.1 Est hac te major, pie, musicus urbe, Georgi,  
2 id tamen ingenii dixero pace tui,  
3 humanas tantum tu mulces cantibus aures,  
4 quando canit brutos allicit ille sues.

## AD MARSYAM DE EODEM.

E9\_004 v.1 Posse gravi te fama refert descendere voce,  
2 infra nescio quot, Marsya, Gamma tonis.  
3 Te tamen hic noster cantat submissius Urus,  
4 ipso quam longe culus ab ore patet.

## AD ERHARDUM SNEPPFUM.

E9\_005 v.1 Plurima turba tuo dicentis pendet ab ore,  
2 qualis ab Alcida Galla corona suo.  
3 Nimirum placido qui misces utile dulci,  
4 omnia plaudentis fers tibi puncta scholae,  
5 quae tanto laetata viro sua gaudia prodit,  
6 quod simul et linguas et pia corda colit.

## DE TAURO.

E9\_006 v.1 Promisit locuples porcum mihi pisaque Taurus,  
2 accepi, sanctam praestitit ille fidem.  
3 Ambo dedit misso tantum sue munera, namque  
4 concisae carnes indita pisa tenent.

## AD EUMDEM.

E9\_007 v.1 Si tua quae nuper misisti munera nosti,  
2 tunc nondum notus, Taure, sodalis eras.  
3 Integra corda volo, si non sint integra dona,  
4 haec animo veniunt aequiparanda tuo.  
5 Si bona mens fuerit, referenda est gratia, si non,  
6 perditus est porcus, perditus est et amor.

## DE QUADAM PUELLA.

E9\_008 v.1 Cum quaedam, cur sim barbatus, virgo rogaret,  
2 hoc dixi : "Vultu territus hostis abit."  
3 Tunc illa : "Id falsum tibi vel me teste probabo,  
4 quae glabra tuta fui, facta sed hirta petor."

## AD LABEONEM.

E9\_009 v.1 Qui totos panes, et totas ingeris offas,  
2 quis tibi cultelli, quem petis, usus erit.

## DE EODEM.

E9\_010 v.1 Sorpturo patulam Labeoni porrige vannum,  
2 in tantis faciet nil cochleare labris.

## AD IOANNEM FICINUM CUI CAPREAM DEDIT.

E9\_011 v.1 Nuper in his medicas quaerenti montibus herbas,  
2 obtulit hanc cursu fessa Diana feram.  
3 Ficinique tui sociae, da dixit, amicae,  
4 namque mei fuit haec gloria prima chori.

## AD DECIUM.

E9\_012 v.1 Nuper Chalcographo, Deci, Triphono,  
2 commendans Canius suos libellos  
3 venales fore praedicavit, illud  
4 verum dixit : "In omnibus tabernis  
5 prostant, nec tamen unus est viator,  
6 qui vel respiciat rogetve quanti.  
7 Hoc si quid melius modo valebit,  
8 tunc illos reor optimos libellos."

## AD AMBITIUM.

E9\_013 v.1 Nulla succensum prorsus tentigine dicis,  
2 sed sancto domini te generare metu.  
3 Quis modo virginei stupeat miracula partus,  
4 en tua non aliud pignora semen habent.

## AD HARTMANNUM IBACCHUM.

E9\_014 v.1 Si collibet potesque, dulcis Ibacche,  
2 theologicum gravi supercilium fronte  
3 remittere, et poeticas pati nugas.  
4 Illo veni sub vespere ad meam cenam.  
5 Pinguem tibi, ne renuas, leporem ponam,  
6 quem candidus lepore condiet Snepphus.

## AD IOAN. FICINUM.

E9\_015 v.1 Advena quisque fere sibi commoda tecta professor  
2 elegit, propriam consequiturque domum,  
3 natus in hanc terram sine limine Cordus oberrat,  
4 nec quid habet, sobolem quo tegat ille suam.

5 Id tibi praecipuo, felix Ficine, patrono  
6 conqueror. Optatam fer miseratus open.  
7 Sic tibi quas uni complures contulit aedes,  
8 impleat aspirans prole beetque deus.

## AD ERHARDUM SNEPPHUM.

E9\_016 v.1 Ingratum nisi sit, nisi sit tibi, Snepphe, molestum,  
2 hoc conviva tuus vespere quartus ero,  
3 nulla premat vacuae te sollicitudo culinae,  
4 imo consorti cura sit illa meae.  
5 Cum sociis leporem mecum portabo columbis,  
6 his comes agnini pectoris offa venit.  
7 Innocuus, castus, simplex, metuensque dei hospes  
8 qua sedet, huic mensae convenit ille cibus.

## AD AUERNUM.

E9\_017 v.1 Cetera doctorum quem contio temnit et odit,  
2 hunc mihi tu laudas semper, Averne, virum.  
3 A te non cupio bonus expertusque vocari,  
4 si sic iudicium fallitur usque tuum.

## IN TABULAM PRIN. PHILIPPI.

E9\_018 v.1 Perfecta hac tabula dubitans haerebat Apelles,  
2 pingendae menti quam daret effigiem.  
3 Omnes in medium virtutes aliger Hermes  
4 duxit, et hic ait est illius archetypus.

## AD QUEMDAM GALLUM.

E9\_019 v.1 Nuper ad eximium quae lusi carmina Snepphum,  
2 in te quod sit in his Galla corona, rapis,  
3 Alcidenque putas turpi te nomine dici,  
4 inde novus furor est terribilesque minae.  
5 Esse tuus tandem stultissime desine lictor,  
6 nec tali frustra suspicione fure.  
7 Haec quoniam nullus credet tibi congrua lector,  
8 cui vires saltem jam patuere tuae.  
9 Nil siquidem minus es, quam Gallicus Ogmus ille,  
10 cujus tam vacuam cernimus esse scholam.

## AD IOANNEM FICINUM.

E9\_020 v.1 Ficinum faciles meum Camenae  
2 aeternis celebrate cantilenis,  
3 qui tanto studio, favore, voto,  
4 hic vestrum cupit eminere cultum,  
5 nascentemque scholam tuetur, ornat,  
6 et ne, quod malus impiusque quisque

7 exoptat, subitam trahat ruinam,  
 8 suppositis columnen resistit armis.  
 9 His aequas meritis referte grates,  
 10 nescit digna cani latere virtus.

AD FRANCISCUM LAMBERTUM PRO MISSIS IN APOCALYPSIM COMMENTARIIS.

E9\_021 v.1 Illo quo mittis capio tua munera corde,  
 2 quae mihi quam bona sunt tam quoque grata placent.  
 3 Impetuosus eras ferme omnibus hactenus hostis,  
 4 et poterat mores vincere nemo tuos.  
 5 Nunc patet illius fuerit quae causa furoris,  
 6 rem tibi cum diris cerno fuisse feris.  
 7 Et quae multa tuam vexarunt phasmata mentem,  
 8 haec rabidum facerent Penthea quemque sophum.  
 9 Excusata igitur tua sunt convicia, si te  
 10 quem titulo praefers gesseris inde virum.

IN QUEMDAM EORUNDEM COMMENTARIORUM SUGILLATOREM.

E9\_022 v.1 Quod sacer afflato sibi Christi spiritus insit,  
 2 lactat qui tantum condidit auctor opus.  
 3 Et tu subsannans potes id contemnere lector,  
 4 quod referat patris cor cerebrumque sui.

DE IMPOSTORE MEDICO.

E9\_023 v.1 Impostor medicus, quales rudis Hessia tantum  
 2 miratur, sacras constitit ante fores,  
 3 et sua jactavit stupidae magnalia turbae,  
 4 cuique malo certam pollicitatus opem.  
 5 Audiit haec adstans, et ei "Heus tu, rusticus, inquit,  
 6 magne tua doctor me precor arte juva.  
 7 Errantem infelix amisi nuper asellum,  
 8 da quod ut inveniam, si medicamen habes."  
 9 Adnutans medicus decerpta lathyride grana  
 10 mox dedit, haec patulis glutiit ille labris.  
 11 Inde domum repetens subito cita viscera motu  
 12 sensit, et in medio est saepe solutus agro.  
 13 Hic ubi post quoddam desedit forte salictum,  
 14 aspexit pascens cominus ire pecus.  
 15 Tum quanto potuit laetatus coepit hiatu,  
 16 o magnum, Deus huc quem tulit ipse, sophum.  
 17 Sic celebre indignis parit ignorantia nomen,  
 18 doctus apud fatuos sordet Apollo viros.

IN CONJURATOS EPISCOPOS.

E9\_024 v.1 Cum summo Hessiacus deberet jure Philippus,  
 2 posset et invicta vos abolere manu.  
 3 Et tamen ob miseros, qui nil nocuere, colonos  
 4 abstineat, qualem creditis esse virum ?

5 Numquid quam patrias pietatem admisit in urbes,  
 6 factis ostendens exhibet ille suis.  
 7 A qua mitrati vos tam procul estis Iudae,  
 8 quam modo victores non faceretis idem.

## IN EOSDEM.

E9\_025 v.1 Extremae fuit hoc malignitatis  
 2 contra verbigenam ferire Christum  
 3 ipsis Gentibus et feris Tyrannis  
 4 exsecrabile foedus, impii hostes.  
 5 Et cunctos semel illius fideles  
 6 clam junctis abolere velle bellis,  
 7 ast immanior impudentia illa est  
 8 id notum modo ubique constitutum  
 9 nulla fronteque conscientiaque  
 10 tam constanter et improbe negare.  
 11 Haec vestra est pietas fidesque, qua vos  
 12 pastores decet eminere nostros.

## AD PRINCIPEM PHILIPPUM.

E9\_026 v.1 Jam vires videre tuas, clarissime Princeps,  
 2 juratae contra fasque piumque mitrae.  
 3 Proque suo, quo te studuerunt perdere, bello  
 4 exoptant pacem, sors ita versa, tuam.  
 5 Nec tu difficili, tua quae clementia, corde  
 6 accipis obstrictam foedere dasque fidem.  
 7 Vis quae Pierius dico praesagia vates  
 8 credere ? Mendaces experiere viros.

## AD SE IPSUM DE EISDEM.

E9\_027 v.1 Quae mala te vexat demens insania, Corde.  
 2 Quid juvat huc doctas sollicitare deas ?  
 3 His inferre viris aliquem te rere pudorem,  
 4 qui pulsa frontem perfricuere fide ?  
 5 Et qui non alio Christum venerantur honore,  
 6 bubones auceps quam solet ipse suos.  
 7 Nulla quibus justis vel honestis cura superstat,  
 8 quique locant uno fasque nefasque gradu.  
 9 Nec vaga quae volitet per mundum fama morantur,  
 10 ut salvas inter luxurientur opes.

## AD FRIDERICHUM BETAM.

E9\_028 v.1 Non causa, Frideriche, mea sic Beta superbi,  
 2 nam gratum facies hoc mihi more nihil.

## AD HERMANNUM BUSCHIUM.

E9\_029 v.1 Tot mihi das multo tibi partos aere libellos,  
 2 ut studiis adsis, docte Poeta, meis.  
 3 Fert tamen haec nullum tibi munificentia damnum,  
 4 dives enim caput est bibliotheca tuum.

## DE INTEMPERANTIAE NOXA.

E9\_030 v.1 Perpetrata Venus torpente libidinis aestu,  
 2 absque siti potus, et cibus absque fame.  
 3 Haec tria morbosum faciunt succumbere corpus :  
 4 haec fuge si longos vis superesse dies.

## IN ALANUM.

E9\_031 v.1 Te meus ignotum vexit super aethera versus,  
 2 et placido poteris id bene corde pati.  
 3 Nunc ubi perspectum proprio te pingo colore,  
 4 in me vesano turbidus ore fremis.  
 5 More tuo facis hoc, mera qui mendacia semper  
 6 diligis, et verum taetrius angue fugis.

## AD LYCIUM.

E9\_032 v.1 Indignante, Lyci, video te pectore ferre,  
 2 quod sis non alio cultus honore mihi.  
 3 Cum claris auctum titulis te praepete cursu,  
 4 eleuet in summam jam dea caeca rotam.  
 5 Parce mihi precor, haec sapiens peccata cavebo,  
 6 ex me non alios metiar inde viros.  
 7 Qui quocumque solet mecum sors ludere vultu,  
 8 idem permaneo Cordus ut ante fui.

## AD LENINGUM JOCUS.

E9\_033 v.1 Nulla tibi proles domina est, Leninge, marita,  
 2 non est quod fortem te probet esse virum.

## AD DECIUM.

E9\_034 v.1 Quod sua Franciscus tibi commentaria misit,  
 2 debetur sancto gratia magna viro,  
 3 si malus (ut quidam fertur dixisse) libellus  
 4 saepe potest multis utilis esse modis.  
 5 Quanta putas illud tibi comoda ferre volumen,  
 6 quo melius dicit, qui dedit, esse nihil ?

## AD HERMANNUM BUSCHIUM.

E9\_035 v.1 Franciscana tuos in commentaria versus  
 2 legi, venalis frondea sarta meri.  
 3 Maximus es, certum est, quam fert Germania vates,  
 4 quem colit Aonius concelebratque chorus.  
 5 Non tamen iste suo est laudatus carmine codex :  
 6 nam cantari aliis debuit ille modis.

## AD OTHONEM SCHLESUM.

E9\_036 v.1 Vis ut Apollineo vates praeconia cantu  
 2 Pontificis celebrem, dulcis amice, tui.  
 3 Quae refer ? An multo partum sudore galerum,  
 4 quaeque gravat pressum gemmea mitra caput ?  
 5 An nova quae instituit posito collegia templo,  
 6 quosque tot Hallensi fecit in urbe deos ?  
 7 At nosti praesens quod talia rideat aevum,  
 8 et fatuam vocet, haec qui modo curat, anum.  
 9 Publica si scitor, quidnam mihi fabula narret,  
 10 respondet dignum versibus illa nihil.  
 11 Et non Pierides debent possuntque sorores,  
 12 nec genii est tandem dicere falsa mei.  
 13 Ergo age, si quid tu nosti laudabile, scribe,  
 14 ut data pangendis ansa sit inde modis.

## EPITAPHIUM ANSERCULAE.

E9\_037 v.1 Quod jacet hic funus ? Dicta olim Ansercula virgo.  
 2 Quae properae mortis causa ? Nefanda Venus.  
 3 Quae, dic, illa ? Piis fari pudor auribus horret.  
 4 Num Florentinam dicis ? Ea ipsa fuit.  
 5 Quo tantum patrante scelus ? Regnante Tridenti  
 6 praesule. Phuh sanctas illene pascit oves ?  
 7 Hac modo mitrati proceres virtute coruscant,  
 8 qui contra Christum stantque fremuntque Deum.  
 9 Illa sacri iudex verbi num turba minatur  
 10 infames, quibus est, dignior ipsa, rogos ?

## AD CAPUM.

E9\_038 v.1 Qui multo loqueris, Cape, verbosissimus ore,  
 2 qua cassum verbo te ratione ferunt.

## AD DELIUM.

E9\_039 v.1 Quis ille sit meo, rogas, Capus in versu,  
 2 non alius id quam quem vocabulum signat.  
 3 Nunc litteratum scire te virum credo,  
 4 quod impotens intelligatur hoc Gallus.



## DE CONVIVIS SUIS.

E9\_040 v.1 Convivas medicos evangelicosque sodales,  
 2 excepi tenui (mos meus ille) cibo.  
 3 Utraque magnificum quia temnit turba paratum,  
 4 haec praesens animae, corporis illa malum.

## IN COMMENTARIA NASICAE.

E9\_041 v.1 Nasicana vides, amice lector,  
 2 commentaria, maximum volumen,  
 3 quae quam sint bona tute judicabis,  
 4 nam pervolvere non mihi vacavit,  
 5 ast haec ipse-, quod audio,-met auctor  
 6 Paulinas supra Epistolas, et omnes  
 7 antiquosque novosque ubique libros  
 8 commendat, probat, evehit, locatque  
 9 sacris proxima bibliis, quid haeres ?  
 10 Corrugasque tuam subinde frontem ?  
 11 Si sancto nequis huic Dei prophetae,  
 12 vano credere qui potes Poetae ?

## AD ADAMUM CRATONEM DE PAPA CA TELLO.

E9\_042 v.1 Sancta sacerdotum tandem connubia credo,  
 2 et Christiana comprobo,  
 3 nec puto mitratos hic inde resistere patres,  
 4 tales ubi jam nuptias  
 5 ipse (quod haud umquam vidit Germania) Papae  
 6 sua colit praesentia.

## AD EUMDEM PAPAM CA TELLUM.

E9\_043 v.1 Heu, miserande pater, nudo nunc pasceris osse,  
 2 et tibi sub mensa vix recubare datur.  
 3 I nunc et vetita manda jejunia carne,  
 4 et summo jacta te residere loco.

## IN DEFORMEM ET SUPERBAM FAMULAM.

E9\_044 v.1 Si quo plus magnum quid praestet, plus quis amatur,  
 2 cur nemo famulam te cupit esse suam ?  
 3 Cum pauperrima sis et deformissima virgo,  
 4 maxima res, quod adhuc esse superba potes.

## DE PHALISCO.

E9\_045 v.1 Theologica vertiginosus a cena  
 2 sermocinaturus Phaliscus ascendit,  
 3 et cum diu clausis gravatam oculis frontem  
 4 mulsisset, hoc exordiens modo fari :

5 "Sitii et nihil dedistis mihi bibere, inquit,  
6 simulque nauseante pronus e ventre  
7 sex pridianae crapulae vomuit libras,  
8 qualis Phaliscus ille contionator,  
9 suum ipse qui statim redarguit verbum ?"

## AD OTHONEM SCHLESUM.

E9\_046 v.1 Fere omnium, qui sunt ubique divorum  
2 relicta legit ossa praesul Albertus,  
3 multoque clausa monstrat auro et argento,  
4 quo pulchrius spectaculo nihil vidi.  
5 Sed tres adhuc abesse virgines divas  
6 Queror, Fidem, Spem, Caritatem, eas miror  
7 cur negligat, cum maxime tamen his cultis,  
8 fundata Christiana religio sistat.

## IN IMAGINEM ALBERTI EPISCOPI MAGUNTINI.

E9\_047 v.1 Quod potuit summa clarissimus arte magister,  
2 picta Maguntini praesulis ora dedit.  
3 Intima quae mens est illius, quaeque pectus,  
4 egregie factis exhibet ille suis.

## DE GALLO.

E9\_048 v.1 Non reor exosum linguas contemnere Gallum,  
2 quas idem plures ore habet ipse suo.

## AD OTHONEM SCHLESUM.

E9\_049 v.1 Pium cor offert et bonam voluntatem  
2 episcopus tuus in repullulans verbum,  
3 monitus, suos ut inter aureos divos  
4 Fidei velit Speique Caritatisque  
5 meminisse, quo nam sint sitae loco quaerit,  
6 ut inde lata posset ossa inaurare.  
7 Dic optimo patri nihil magis illarum  
8 superesse, praeter vana nomina, et tantum  
9 constare, primo eas salutis exortu  
10 vixisse, in impiaque mortuas Roma.

## AD PAETUM.

E9\_050 v.1 Non exis nisi te comitanti pone ministro,  
2 idque ideo, dicis, quod male, Paete, vides.  
3 Si verum est, non ille sequi, praecedere debet,  
4 transmissum furor est si retro monstrat iter.

## AD SEBASTIANUM.

E9\_051 v.1 Paucos, docte Sebastiane, versus  
 2 in pictam faciem tuam, et deinde  
 3 dum novus jaceres nuces maritus,  
 4 festinis cecini tibi Camenis.  
 5 Horum terque quaterque jam petivi  
 6 exemplum, ut, quota pagina, adderentur  
 7 edendis Epigrammatum libellis.  
 8 Sed tu, ceu tibi sordeam, quod oro  
 9 es surda nihil exsecutus aure.  
 10 Hoc quid suspicer esse ? Num pudet te  
 11 in nostris celebrariet libellis ?  
 12 Quod multus cupiat decus mereri.  
 13 Ex his si cupis eximi, videtur  
 14 exemptus quoque corde Cordus esse.

## AD EUMDEM.

E9\_052 v.1 Ut mirus sit oportet ille pictor,  
 2 qui, doctissime, te, Sebastiane,  
 3 plus prima nive candidum sodalem  
 4 sic carbone nigro potest referre.

## AD EUMDEM.

E9\_053 v.1 Vis ophthalmicus ut tuas celebrem  
 2 jucundissime nuptias sodalis,  
 3 te famae video meae favere.  
 4 Ex vili quia Choerilo cupis me  
 5 Smyrnaeum fieri repente vatem.  
 6 Esto, sobrius abstinensque vivam,  
 7 et juris mihi me mei relinquunt,  
 8 hic qui conveniunt pares amici,  
 9 caecabit tua me tamen puella,  
 10 nam quis Lynceus, armiger vel ales  
 11 hunc impune queat videre solem.

## AD EUMDEM.

E9\_054 v.1 Jussa tuam Venus in templum deducere sponsam  
 2 abnuit, et nexa noluit ire mora.  
 3 Mox percontanti causam rerum patre, dixit,  
 4 mortalis divam non volo vincat homo.

## AD EUMDEM.

E9\_055 v.1 Pauperis exiguum Cordi non despice munus,  
 2 immo vide mentem, non data dona, meam.  
 3 Namque suum infestus mihi Plutus denegat aurum,  
 4 sed sacra quid majus Calliopea dedit.

## IN PRINCIPIS PHILIPPI INSIGNIA.

E9\_056 v.1 Quod sis illustrissimus et fortissimus heros,  
 2 ex signis video, magne Philippe, tuis.  
 3 Hoc rutilae stellae monstrant, patulique leones,  
 4 sera fac id dicat post tua fata dies.

## DE QUODAM CAUPONE.

E9\_057 v.1 Cum quidam hic celebres diverteret hospes in aedes,  
 2 apponi jussit maxima vina sibi.  
 3 Quae dum gustasset summis libata labellis,  
 4 decolor amisso vappa sapore fuit.  
 5 Ille tamen superae simulans mera nectara mensae,  
 6 dandam, qua biberet fracta, poposcit aquam.  
 7 Audiit haec adstans puer, et : "Non est opus, inquit,  
 8 octo cavens urnis miscuit ante pater."

## DE PUERO IN LUNAM FLANTE.

E9\_058 v.1 En vespertinam flatu restinguere lunam,  
 2 parvulus hic credit fuste petitque puer.  
 3 Magna, haec stultitia est, sed longe major, idem quod  
 4 tentat in exorto sole mitrata cohors.  
 5 Illa suapte olim cum tempore sponte facesset,  
 6 haec nullo hellebori discutietur agro.

## IN VALLUM CASSILIENSIS ARCIS.

E9\_059 v.1 Hostibus esse meis putor insuperabile vallum,  
 2 noluerit custos, sum levis umbra, Deus.  
 3 Sim quota spes igitur, solus fiducia Christus,  
 4 haec tua qui princeps tecta manere velis.

## AD FRANCISCUM.

E9\_060 v.1 Magna tibi est sacri, Francisce, scientia verbi,  
 2 et facilis pleno pectore vena fluit.  
 3 Una cui in multum crevit Pandecta volumen,  
 4 (hunc toties titulum per tua scripta citas)  
 5 quantumvis doctum superare videris Othonem,  
 6 parvo pandectas edidit ille libro.

## AD EUMDEM.

E9\_061 v.1 Qui vix immenso pandectam codice finis,  
 2 quantum pandectas accumularis opus ?  
 3 Insano fuerit fidentior ille Darete,  
 4 qui magnis speret te superare libris.

## DE VINO MARPURGENSI.

E9\_062 v.1 Advectum a Rheno Marpurgi ad moenia vinum  
 2 ferbuit, erupto prosiliitque cado.  
 3 Salva ipsum voluit magis integritate perire,  
 4 quam quod corruptum perderet hic alios.

## IN CHRISTIANUM FORTEM.

E9\_063 v.1 Quam non conveniens habere nomen  
 2 videris mihi, Christiane, Fortis.  
 3 Qui primo taratantarae fragore  
 4 ducem deseris abnegasque Christum,  
 5 abjectisque tuae salutis armis  
 6 pollutum colis impius Baalem.  
 7 Aut mores igitur tuos reforma,  
 8 aut sis perfidus Antichristianus.

## IN IOANNEM RHODURGUM.

E9\_064 v.1 Si poteris sophica contentus vincere cena,  
 2 et Cordi nugas ferre salesque tui.  
 3 Extremo conviva meam pete vespere mensam,  
 4 verbis, non epulis te saturabo meis.

## AD SODALES.

E9\_065 v.1 Omnes adeste musici cachinnones.  
 2 Omnesque vobiscum ciconias, sannas,  
 3 ronchos, sales, jocos et auriculas ferte,  
 4 et liberorum quinque plaustra syllorum.  
 5 Amabiles habeo mihi domi nugas,  
 6 vobis meis quas exhibebo convivis,  
 7 hac lege, ut unum quisque nummulum ponat.  
 8 Gratis eas proferre delicias nolo.

## AD EOSDEM.

E9\_066 v.1 En vobis lepidum nimis libellum  
 2 cujusdam celeberrimi poetae  
 3 missum Lypsiaca mihi usque ab urbe  
 4 quod primum volo ferculum vorari.  
 5 Si quem dentibus id facit stuporem,  
 6 illius medicina portulaca  
 7 infertur : "Quid, ohe, quid ille risus,  
 8 quid vult Sardonicus sibi cachinnus ?  
 9 Tam claram cohibete quaeso vocem,  
 10 ne quis nos putet ebrios viator.

## AD EOSDEM.

E9\_067 v.1 Forte ante sex trieteridas fuit quidam  
 2 non incelebri laude Lypsiae vates,  
 3 perenne cui Myricio manet nomen.  
 4 Hunc major auctiorque literis auctor,  
 5 dictus Myricianus, iste praecellit,  
 6 et vos eum tantum virum refutatis ?

## AD CAMITIANUM.

E9\_068 v.1 Egregios fama est istic emergere vates,  
 2 divite quos aluit Lypsia vestra sinu.  
 3 Hos mihi, si nosti, pie Camitiane, saluta,  
 4 si modo sinceros noveris atque pios.  
 5 Nullus ubi inflato tumeat sub pectore fastus,  
 6 si vana faciles ambitione vacent.  
 7 Heus, cave ne facias, missus venit ecce libellus,  
 8 qui tales illos non ait esse viros.  
 9 Sed plane adversis infestos moribus hostes.  
 10 Spargentis verbi lumen ubique suum.  
 11 Hos ego non homines salvere, valere jubebo,  
 12 dum resipiscentes indoluisse sciam.

## AD HERMANNUM BUSCHIUM.

E9\_069 v.1 Barbara dicta fuit cuidam olim Lypsia vati,  
 2 sed tunc non celebres protulit illa viros.  
 3 Nunc vero quantos eduxerit aspice Homeros,  
 4 et lege praeclarum, quem cecinere, librum.  
 5 Quid rides, strepero numeras quid carmina roncho ?  
 6 Quid miseros homines terque quaterque sonas ?  
 7 Post adeo horrendos vultuque minisque Daretas,  
 8 quos supera fudit mille Lutherus ope,  
 9 ille triarius est, qui bellum finiet, ordo,  
 10 et sua Belicolis otia reddet haris.

## AD LYPSIAM.

E9\_070 v.1 Quis non artifices tuos poetas  
 2 felix Lypsia civitas stupescat ?  
 3 Qui quinta regione septimaque  
 4 possunt hexametros parare versus.  
 5 Quod non ille prioribus sub annis  
 6 divinus potuit Maro, nec ipse,  
 7 quo non doctior alter est, Homerus,  
 8 ergo terque beatior quaterque,  
 9 hoc quam Mantua tunc, eoque Smyrna,  
 10 tantis Lypsia vatibus superbi.

## AD APOLLINEM.

E9\_071 v.1 Dic, intonse deus, tua quid tibi Lypsia fecit,  
 2 quo tantum potuit demeruisse malum ?  
 3 Ut tam ridiculis juvet hanc temerare poetis,  
 4 qui vetus obscurent diminuantque decus ?  
 5 O caecos homines, omni qui prorsus honesto,  
 6 omnique ingenio iudicioque carent.  
 7 Des sanum precor his aliquando pectus, ut olim  
 8 stultitiam videant illacrimantque suam.

## AD MICYLLUM.

E9\_072 v.1 Tracta suaviter hunc tabellionem.  
 2 Jucundissima namque dona, nempe  
 3 cujusdam tibi, quem vides, poetae  
 4 fert perridiculum, Micylle, librum,  
 5 foetum Lypsiacae novum Minervae,  
 6 quem, nullus nisi sit tibi lienis,  
 7 ter centum scio, conspues cachinnis,  
 8 sat ride et lege, deinde litteratas  
 9 per cenas propere hinc et inde mitte  
 10 pluresque exhilara tuos sodales.

## AD LYPSIAM.

E9\_073 v.1 Maesta tuum quid adhuc deploras Lypsia Caprum ?  
 2 Talia qui melior damna rependet, habes.  
 3 Scilicet aequalem simili pietate Cochlaeum,  
 4 magnum, qua stat adhuc Romula secta, virum.  
 5 Hic quoque Tartareas si cras descendat ad umbras,  
 6 non poteris, quod sis orba relictas, queri.  
 7 Ecce duos alios tibi, maxima lumina, vates,  
 8 e gremio qui nunc emicuere tuo.  
 9 Qui cum magnanimo sub prima aetate Luthero,  
 10 audent pugnaces conseruisse manus.  
 11 Si veniunt tanti verno sub sidere fructus,  
 12 qualia maturae tempora messis erunt ?

## AD PAPAM.

E9\_074 v.1 Quotquot erant, qui te cuperent defendere, patres,  
 2 vindice Martini succubere manu.  
 3 Ast nunc ecce duos juvenes, sanctissime praesul,  
 4 queis ducibus decori restituere tuo.  
 5 Tantis haeretico telis et viribus hosti  
 6 non citra superam congregiuntur opem.  
 7 Tam claris igitur se jactet Elister alumnis,  
 8 quaeque dedit tantos patria terra viros.  
 9 Laeteturque tua celebris pietate Cochlaeus,  
 10 hos bello socios implicuisse suo.

## AD LONICERUM.

E9\_075 v.1 Hesterna tibi, Lonicere, luce  
 2 dixi de celeberrimis duobus  
 3 quos jam Lypsia praedicat, poetis,  
 4 post tot magnanimos duces subactos  
 5 hosti congregantibus Luthero,  
 6 ficulnis tamen admodum machaeris,  
 7 horum nomina vis tibi referri,  
 8 at non, quae fuerint, satis recordor,  
 9 et missus liber est meo Micyllo.  
 10 Hic illas Apinas levesque tricas  
 11 si legit, vereor, ne utrasque ad aures  
 12 crebris os laceraverit cachinnis.

## AD LECTOREM.

E9\_076 v.1 Quis jam Lypsiaco persuasum vate Lutherum,  
 2 in cinere et sacco paenituisse neget ?  
 3 Et raso veterem capiti imposuisse cucullum,  
 4 quosque umquam scripsit mox revocare libros ?  
 5 Tantus in his lepor, et tanta est facundia scriptis,  
 6 flexanimis credas ipsius esse deae.  
 7 O utinam tales prodissent rhetores olim,  
 8 extulit ut nascens haeresis illa caput.  
 9 Non sacer indignis quereretur luctibus ordo,  
 10 quod tantas frustra saepe dedisset opes.

## DE EISDEM.

E9\_077 v.1 Incusatus Apollo, quod duobus  
 2 istis Lypsiacis favens poetis  
 3 contra Christicolam virum Lutherum  
 4 hunc dictaverit impium libellum,  
 5 irato gravis ore se negavit  
 6 ullum noscere Lypsiae poetam.

## HASENBERGII ET MYRICIANI AD COCHLAEUM, QUERELAE.

E9\_078 v.1 Insignes duo Lypsici poetae  
 2 et non nomine rhetores minori  
 3 Hasenbergius et Myricianus,  
 4 has tristes tibi mittimus querelas  
 5 vindex Romulei Cochlaee patris,  
 6 oramusque tuo juves misellos  
 7 nos patrocinio vocante causa,  
 8 quem tot mensibus arduo labore  
 9 scriptum misimus optimum libellum  
 10 multo crimine pessimo Luthero,  
 11 non dignatus (ut est superbus) ille  
 12 audito titulo semel videre,  
 13 nedum volvere, maximis cachinnis  
 14 rejecit, temerariasque nugas



15 dixit, tam procul est adhuc, ut idem  
 16 persuasus doleat. Magis nefandum  
 17 audi dedecus. Hunc procax juvenus  
 18 accepit, miseris modisque lusit,  
 19 illatum quia sordidam in latrinam  
 20 invento hic minio notavit, et sic  
 21 spurcis labibus illitum remisit.  
 22 Ex his, quod male nos habet, diebus  
 23 merdosos rude nos vocat poetas  
 24 vulgus, pone sequens et ipsa pubes  
 25 jacto contemerat luto, nec usquam  
 26 praemagno licet egredi pudore,  
 27 hanc ignominiam malamque famam,  
 28 tu compescueris statim et levaris,  
 29 si praesens semel hac in urbe nostros  
 30 ad cives habeas severiorem,  
 31 haec quae despuat ausa, contionem.  
 32 Est, audire, aliquid, gravem Cochlaeum.

IN EPIGRAMMA, QUOD OECOLAMPADIUM VIRGIS CAESUM TRADUCIT.

E9\_079 v.1 Caesumne virgis Oecolampadium dicis ?  
 2 Haec quae tua est procacitas levis scurra,  
 3 adeone nullam, o impudens, habes frontem ?  
 4 Ut nesciente conscientia et mundo,  
 5 tantum audeas mendacium in virum tantum  
 6 confingere, et tuis eum palam merdis  
 7 spurcare ? Quem surgens ubique jam Christus  
 8 splendere vult rutilum domus suae lumen.  
 9 Non tam sacrum Basilea saevit in verbum,  
 10 ut innocentes illius professores  
 11 tantis, ut hic tu fingis, afficiat probris,  
 12 imo colit, veneratur atque sustentat.  
 13 Quod si senatores in urbe vestrata  
 14 dignas tuis ausis dari velint poenas,  
 15 ipsum statim te publico in foro caesum  
 16 cognomini super alligans equo lictor  
 17 circumfluum jam susque deque per vulgus  
 18 produceret, sequente post juventute,  
 19 quae, non vacantibus interim manibus, clamet,  
 20 lutulentus obruendus est luto vates.

AD SE IPSUM.

E9\_080 v.1 Ecquid tam nihili juvat insanissime nugas  
 2 usque adeo multis exagitare modis ?  
 3 Quis furor est graciles, quos praestat temnere, vermes  
 4 armata pilis velle phalange sequi ?  
 5 Non opus ut tantis feriantur Ephemera telis,  
 6 quando suo tamen haec sint peritura die.  
 7 Ista legens, tanti fieri, laetabitur hostis,  
 8 seque vel infami nomen habere libro.

## AD HASENBERGIUM ET MIRICIANUM.

E9\_081 v.1 Magnam vos mihi gratiam feretis  
 2 jam versu celebres meo poetae,  
 3 nemo vos genitos prius sciebat,  
 4 at lectis Epigrammatis rogatur,  
 5 quis sit, quem quoque scripserit libellum  
 6 Hasenbergius et Miricianus.

## IN HEREBORNUM AEMULUM FRANCISCI LAMBERTI.

E9\_082 v.1 Grande in Franciscum te fers scripsisse volumen,  
 2 hac et vana tibi gloria parte placet.  
 3 Quinque licet scribas magnorum plaustra librorum,  
 4 nil agis, his armis praeualet ille tibi.  
 5 Quare consilium fuerit temerarie nostrum,  
 6 vel bene, vel, si vis vincere, scribe nihil.

## AD DECIANUM DE ADAMO CRATONE.

E9\_083 v.1 En hic quem petis alloqui Cratonem  
 2 praefectum Hessiae episcopum. Quid haeres ?  
 3 Mitratum tibi forte et infulatum,  
 4 auratoque pedo, et rigente palla  
 5 insignem, et famula sequente turba  
 6 stipatum dominum et ferum tyrannum  
 7 esse ipsum, Deciane, credidisti.  
 8 Tales Pontificesque praesulesque  
 9 Romanus Baal exhibet, sed ille est,  
 10 quales Paulus episcopos adornat,  
 11 humanus, facilis, pius, benignus,  
 12 castus, sobrius, eruditus, insons,  
 13 non turpis cupidus lucri, hospitalis,  
 14 omnes denique quas habere dotes  
 15 debet qui populum docet, minister,  
 16 pleno praestat is absolutus orbe.

## AD IOANNEM FICINUM.

E9\_084 v.1 Quid tanto afficeris sapiens, Ficine, dolore,  
 2 tristitiae frenum pone modumque tuae.  
 3 Nulla fata queunt umquam ratione moveri,  
 4 ibimus hanc omnes, cum vocat hora, viam.  
 5 Quem lugens supera regnans Jacobus in arce,  
 6 cum divo fruitur perpete pace choro.  
 7 Felici potius congaude laetus amico,  
 8 tantis, invidia est, indoluisse bonis.

## DE IACOBO BLANCHENEMIO.

E9\_085 v.1 Blanchenemius hoc migrans Jacobus ab orbe :  
 2 "Quid mea vesani funera fletis ? " ait.

3 Haec mihi in aeternam mors est quasi janua vitam.  
4 Vivere qui sperat non timet ille mori.

EPITAPHIUM EIUSDEM.

E9\_086 v.1 Sordide munde, vale, purae novus incola sedis  
2 rideo tam gratus quod mihi carcer eras.  
3 Scilicet hanc quoties prius actae confero vitam,  
4 sunt mihi deliciae luctus et umbra tuae.

DE COMITIIS SPIRENSIBUS.

E9\_087 v.1 Mitrati proceres magno coiere paratu,  
2 qua patet irriguo morbida Spira solo.  
3 Forte rogas toto quidnam modo mense volutent,  
4 magnas res sacra religionis agunt.  
5 Nam de servando certatum est hactenus esu,  
6 hoc quem Romuleus tempore Papa jubet.  
7 Nulla sed in potu (jaceant modo pocula) lis est.  
8 Nonne pius Christi spiritus agmen agit ?

AD NEMETES.

E9\_088 v.1 Reges, Pontifices, Duces, Barones,  
2 plena jam Nemetes fovetis urbe,  
3 quod magno scio commodo esse vobis,  
4 ex illa quoniam celebritate,  
5 (si nil est aliud quod hic sit actum)  
6 tantum spero decus lucrumque quondam  
7 auctorum fore mercimoniorum,  
8 ut vestros liceat videre cives  
9 parvo tempore post negotiari  
10 Reges, Pontifices Duces, Barones.

EPITAPHIUM MATRIS EOBANI HESSI.

E9\_089 v.1 Hac quicumque subis viator audi,  
2 notus toti Eobanus Hesus orbi  
3 venit forsitan et tuas ad aures.  
4 Illius Catharina mater olim,  
5 hoc sub caespite condor, id volebam.  
6 Hoc me fas mihi jactitare nato,  
7 quo tota Hessia vate gloriatur  
8 aeternum decus et perenne nomen  
9 extremos apud externos habere.

AD QUEMDAM EPISCOPALEM AULICUM.

E9\_090 v.1 A duce qui Christo nostrum cognomen habemus,  
2 cur nusquam sequimur quo praeit ille, rogas.  
3 Pauper erat, sed nos locupletes esse studemus,

4           pacificus, truce nos sumimus arma manu.  
 5   Adjutor miseri, nos conculcamus egenos,  
 6           verax, in nostris frausque dolusque labris.  
 7   Subjectus, domini cupimus nos culmen honoris,  
 8           castus, nos omnis spurcat agitque Venus.  
 9   Denique quaecumque est illius cetera virtus,  
 10          adversum in vitium transfuga turba sumus.  
 11   Nescio, sed toto fieri sic conspicio orbe,  
 12          et simili tecum saepe dolore queror.  
 13   Forte quod exstantes, mitrata caterva, columnae,  
 14          qui nostrum debent esse voluntque caput,  
 15   haec pro salvifico dent exemplaria verbo,  
 16          et vitam doceant subdita membra suam.  
 17   Integra sincerum qui plebs servemus odorem,  
 18          corruptus tabo sal ubi noster olet ?

## AD ROCHUM DILHERUM.

E9\_091 v.1   Tot aereos argenteosque Caesares  
 2           pleno tenes, perite Roche, scrinio,  
 3           sed inter illos unus aureus Nero  
 4           grato tibi plus ceteris vultu placet.  
 5           Quas longa non variat vices antiquitas ?  
 6           Qui pessimus tyrannus ante saeviit,  
 7           incredulisque pulsus est a gentibus,  
 8           a Christianis optimus colitur viris.

## AD EUMDEM.

E9\_092 v.1   Non Constantinum, non Trajanum, neque Nervam,  
 2           nec quicumque insons est tibi Caesar, amo.  
 3           Hos bonus ipse bonos serva tibi, sed mihi detur  
 4           ut simili vati pessimus ille Nero.

## AD GEORGIUM BOENEBURGUM.

E9\_093 v.1   Rarus in hoc certe monstratur nobilis aevo,  
 2           qui referat mores vir generose tuos.  
 3           Tam pius, humanus, cordatus et integer, insons,  
 4           tam honus ex omni denique parte places.  
 5           Talia formarunt sanctae tua pectora Musae,  
 6           quae comitem te sic excoluere suum.

## DE NIGRO.

E9\_094 v.1   Non vult invisio Niger assentire Luthero,  
 2           hoc etiam verum si modo dogma foret,  
 3           seque ob id aeternas trudem sciret ad umbras,  
 4           debere irato Tartara ferre deo.  
 5           Quam sit atrox odii mortales discite morbus,  
 6           impia qui lento corda furore tenet.  
 7           Quid rasam miramur adhuc non credere turbam,

8 haec si vulgaris dicere vappa potest ?

DE TITO.

E9\_095 v.1 Ingentes sacram tabulas appendit ad aedem,  
2 quidam se jactans omnia scire Titus.  
3 Quid faciam ? Qua nunc alios ratione docebo,  
4 quando, quod ipse sciam, liquerit ille nihil ?

AD HEINRICHUM LERSINERUM.

E9\_096 v.1 Jam quater oratus proprio est pro limine Princeps,  
2 sed nondum mihi dat, nec tamen ille negat.  
3 Quam mihi certa velim tandem responsa referri,  
4 post longas etiam qualiacumque preces.  
5 Gratius officium est cito non tribuenda negare,  
6 quam vana dubium spe tenuisse virum.  
7 Te precor ergo meum felix, Heinriche, patronum,  
8 hic agere, et pro me sollicitare velis.  
9 Tu molles aditus, tu commoda tempora nosti,  
10 cum dedit optatas fausta Diana feras.

DE MELANTHIO.

E9\_097 v.1 Omnes faventes iudices et aulicos  
2 habet impius Melanthius, coram quibus  
3 non tam mala est nec iniqua causa, quam statim  
4 non vincat, explosis foro adversariis.  
5 Mirum nihil, majore quando gratia,  
6 quam maximus vel Cicero vel Demosthenes,  
7 patrocinentur atque praesto sint ei  
8 tot splendidi Reges, Episcopi ac Duces,  
9 et advocati plurium urbium dei.  
10 Adstent serenis et precentur vultibus.

AD IOANNEM FICINUM.

E9\_098 v.1 Te, Ficine, meum rogo patronum,  
2 et fidum, simul obsecrans, amicum,  
3 ut quam munificus domum Philippus  
4 se digna mihi liberalitate  
5 addixit, dedit et parare jussit,  
6 hanc tu tradere non velis gravari.  
7 Sat jam sat miser hinc et inde cinclus  
8 erravi propriam semel domumclam  
9 felix cochlea possidere vellem.

ATROPOS AD MORIENTEM GERMANUM.

E9\_099 v.1 Non meritis in me veheris, Germane, querelis,  
2 non tua crudeli deseco fila manu.

3 Sed dum perpetuo nimis hument stamina potu,  
4 ipsa sua multo pondere sponte cadunt.

AD SYNODUM MARPURGENSEM SUPER SACRAMENTARIA CAUSA CONFERENTEM.

E9\_100 v.1 Insignes verbi proceres, argute Luthere,  
2 suhavi Oecolampadi,  
3 magnanimis Zvingli, pie Sneppe, diserte Melanchthon,  
4 fortis Bucere, candide  
5 Haedio, praecellens Osiander, strenue Brenti,  
6 amice Iona, acer Crato,  
7 ac reliqui, bona turba, viri, quos inclutus Heros  
8 Princeps Philippus acciit,  
9 Christicolaeque suos urbes misere ministros,  
10 et praesules episcopos,  
11 ut nova tollatis divisae schismata sectae,  
12 veramque monstretis viam,  
13 en cupido supplex vobis Ecclesia voto  
14 vestros cadit flens ad pedes,  
15 atque per intima vos communis viscera Christi  
16 adjurat, obsecrat, monet,  
17 ut sanctis studiis superi pro laude tonantis,  
18 et omnium fidelium  
19 quaerenda (haec vobis incumbit cura) salute  
20 tractetis hoc negotium,  
21 unde ratum iudex decretum praedicet orbis  
22 sancto profectum spiritu.

EURICII CORDI EPIGRAMMATUM LIBER DECIMUS.

AD GEORGIUM STURTIUM.

E10\_001 v.1 Forte tuo decimum volui sine nomine librum  
2 ordiri, ac alii ponere lemma viro.  
3 Astitit in dignans auremqueprehendit Apollo,  
4 et Sturci sedes est, ait, ista tui.  
5 Ille velut meritos supereminet inter amicos,  
6 sic primum debet semper habere locum.

AD HAINRICHUM HESSUM.

E10\_002 v.1 Nugarum decimus prodit liber iste mearum,

2           nec legis hic nomen nobilis, Hesse, tuum.  
 3       Quod nullo fieri contemptu crede tui, cum  
 4           prima sodalicii pars habere mei.  
 5       Sed quia tute tuo melior splendore poeta,  
 6           ut mea nil queat hic addere mica, nites.  
 7       Ergo perinde leves fuerit tibi pangere versus,  
 8           ac Lycium Cilici mittere velle crocum.

## AD LECTOREM.

E10\_003 v.1       Occurrente tibi monacho tua pectora signa,  
 2           nam stygium certum est semper adesse ferum.  
 3       Si niger est, Satanam, sin albus, credito matrem  
 4           illius, at mixtum fuscus utrumque refert.

## DE QUODAM RUSTICO.

E10\_004 v.1       Dum caram sibi maxime puellam  
 2           quidam rusticus indicare vellet,  
 3           tam te dixit amo meum colustrum,  
 4           et multo superuncta puls butyro,  
 5           quam quando madida reversus urbe  
 6           rus contingo, bonam cacationem.

## DE RUFFO.

E10\_005 v.1       Incipit intonsam Ruffus submittere barbam,  
 2           sincerum vendet nunc reor ille crocum.

## IN POCULORUM SUORUM CAPSAM.

E10\_006 v.1       Aurea sunt longo quae stant hic ordine vasa,  
 2           testans, si videas, Eurytiona labor.  
 3       Ne tamen infidos illectent splendida fures,  
 4           vile foris sordent Alcimedontis opus.

## DE PHRYGE.

E10\_007 v.1       Obstruite nares hospites vestras viri,  
 2           bene Phryx quidem pepedit, at foetet male.  
 3       Quid turpe et incivile factum creditis ?  
 4           Medicina sic et Claudiana lex iubet.

## DE RUSTICO.

E10\_008 v.1       Ingressus rabulae quaesitas rusticus aedes,  
 2           vidit ab uncata pendula dona trabe.  
 3       Auritos lepores, et pingues dorcadis armos,  
 4           atque recens capti nobile sumen apri.  
 5       Tum sua mox tristi vertens vestigia vultu :

6 "Heu, ait, hic pauper vincere nemo potest."

AD IOANNEM FICINUM.

E10\_009 v.1 En tibi torpenti mediae sub frigore brumae,  
2 Augusti virides accipe mensis opes.  
3 Intiba, buglosson, raphanos, nasturtia, sonchos,  
4 et placidum noctis quae vocat herba deum.  
5 Pro te sollicitus dedit haec tibi munera Phoebus,  
6 quando suo videat te bene velle choro.

DE DEMOSTHENE.

E10\_010 v.1 Infremuit viso torvus Demosthene Taurus,  
2 rivalem placido quis ferat ore suum ?

DE EODEM.

E10\_011 v.1 Ne commune habeas cave cum Demosthene scortum,  
2 rivales quoniam devorat ille suos.

DE CRUMENA SUA.

E10\_012 v.1 Ex dira Satanae mea facta est pelle crumena,  
2 quando quidem nullam continet illa crucem.

AD QUEMDAM THEOLOGUM.

E10\_013 v.1 Una sacri est, in qua dissentio, syllaba verbi,  
2 et procul aspectum me fugis haereticum.  
3 Interea totum qui temnit Marsya Christum,  
4 convivae colitur, suspiciturque tibi.  
5 Sim tuus ergo tibi velut olim filius oro,  
6 ne meus ipse mihi non habere pater.

DE QUODAM EPISCOPO.

E10\_014 v.1 Ipse sedens asino conspexit episcopus Hermes,  
2 pastorem saxo forte sedere Chromin.  
3 "Et quidnam video, lapidi lapis insidet", inquit,  
4 respondens simili cui sale pastor ait :  
5 "Hoc ego tam magnum non monstrum duxero, quam quod  
6 insessorem asinum te quoque fert asinus."

AD CAROLUM CAESAREM.

E10\_015 v.1 Te defensurum Divi patrimonia Petri,  
2 jurasti Latio, Carole, Pontifici.  
3 Non gravis hic labor est, quis propter inutile rete,





## DE ANOLBO ET MOLORCHO.

E10\_023 v.1 Quam sit magna deae Fortunae disce potestas,  
 2 et nullis meritis res regat illa tuas.  
 3 Impostor dum vendit aquas ditescit Anolbus,  
 4 justus qui vendit vina Molorchus eget.

## IN EPIGRAMMATUM SUORUM PRAELECTIONEM.

E10\_024 v.1 Jam multis habui tacens diebus,  
 2 quod ad Palladium chorum Lycei  
 3 deferri cupio, sed inveniri  
 4 in nulla potuit schola, nec aede.  
 5 Horrent virgineae subire Musae.  
 6 Quare si vacuus quis ambulator,  
 7 potorumve quis, aut quis aleator,  
 8 hoc ex ordine quempiam sodalem  
 9 forte offenderis, hunc moneto quaeso,  
 10 quod vates medicusque Cordus ipse  
 11 interpretes suos hoc paret subanno  
 12 emissos Epigrammatum libellos  
 13 non torpente docere lectione.  
 14 Pro qua retribuenda nulla merces,  
 15 quam quod sedulus ac frequens alumnus,  
 16 sincero velit advenire corde,  
 17 et scabram simul expolire linguam.

## DE POCULIS SUIS.

E10\_025 v.1 Lignea sunt, sed habent istas mea pocula vires,  
 2 ut mixta ex illis nemo venena bibat.

## DE FAMULO SUO.

E10\_026 v.1 Tam docta, famulus mea pocula colluit arte,  
 2 ut minima pulvis non madefiat aqua.

## AD HOSPITEM QUEMDAM.

E10\_027 v.1 Aurea convivis apponis pocula, sed quae  
 2 turbida diluti cramatis unda replet,  
 3 hunc ego non magni facio, nec curo paratum,  
 4 in vitreis malo des mera vina scyphis.

## DE SCORTATORE SACERDOTE.

E10\_028 v.1 Rustica clam petiit scortator tecta sacerdos,  
 2 vicinoque suum poste ligavit equum.  
 3 Illum, facta rei confestim conscia pubes,  
 4 abstulit, eductum substituitque bovem.

5 Hinc ingente fores aggressa fragore minatur,  
 6 se moechi testes velle secare viri.  
 7 Ille patente statim prolapsus forte fenestra,  
 8 insilit in stratum pungit agitque bovem.  
 9 Pone sequens multo clamore, lutoque juvenus  
 10 sic cives equitem cogit adire suos.  
 11 Talia non adeo petulans spectacula ride,  
 12 foedius hoc Papam fertque, refertque pecus.

## AD GALBULAM.

E10\_029 v.1 Ipsam per terram, perque omne quod illaprehendit,  
 2 jurare nos Christus vetat.  
 3 Huic adeo parens mandato Galbula, juras  
 4 per veritatem, et per fidem.

## AD AELIAM.

E10\_030 v.1 Quid quod miles abit frater, soror Aelia, ploras,  
 2 incolumis morbo ni cadat ille redit.  
 3 Talia securus gerit amuleta penes se,  
 4 concidat in nullis ut Thraso principiis.

## IN NOVA PROGNOTICA ASTROLOGORUM.

E10\_031 v.1 En nova venturi Prognostica vendimur anni,  
 2 pro tribus an nummis merx tibi cara sumus ?  
 3 Nosque meras nugas, vana et mendacia dicis,  
 4 i, sapiens nusquam nos tamen emit homo.

## AD DEMOCRITUM.

E10\_032 v.1 Exactis monachis plenae prope muribus aedes,  
 2 plenae mandrae et harae, plenaque templa scatent.  
 3 Haec ais, irato quod sit Democrite Christo  
 4 prosancto nobis reddita plaga choro.  
 5 At nescis eadem quod questi incommoda fratres,  
 6 frumentis vestris hunc aluere gregem.  
 7 Quae cum nulla magis solitis cumulentur acervis,  
 8 vicinas saevit dira fames in opes.  
 9 Alleviata haec est potius contractaque pestis,  
 10 alti ter decies plus nocuere viri.

## IN ICONAS SCIENTIAE ET VENTRIS.

E10\_033 v.1 Cum spurcum videas prope me deformeque monstrum,  
 2 atque mea forma pulchrius esse nihil.  
 3 Quae vesana, malum, stupidi dementia vulgi,  
 4 quod me tam refugit, tam colit hoc et amat ?

## AD LURCONEM.

E10\_034 v.1 Te condiscipulum mihi collusisse sodalem,  
 2 in teneris olim, Lurco, diebus ais,  
 3 parce quod hoc potui te non cognoscere cultu,  
 4 ipsemet oblitus cum videare tui.

## DE TRULLA.

E10\_035 v.1 Obvius adverso veniat tibi, Trulla, caveto,  
 2 te quoniam naso proteret ille suo.

## DE EODEM.

E10\_036 v.1 Ut quondam caecus Thebanis Oedipus agris,  
 2 sic solet incertos ponere, Trulla, pedes.  
 3 Sed bona sunt, et quae serpentes lumina vincant,  
 4 nullam prae naso conspicit ille viam.

## DE EODEM.

E10\_037 v.1 Venturum video parvo post tempore Trullam,  
 2 praevius illius jam quia nasus adest.

## DE EODEM.

E10\_038 v.1 Tam nasi se Trulla tui levat ardua moles,  
 2 ut superimpositus, sit quasi naevus, Athos.

## AD HACUM.

E10\_039 v.1 Dum certamus uter majorem fingere nasum  
 2 possit, nasuti plus satis ambo sumus.  
 3 Quare dimisso tractemus seria ludo,  
 4 quid facis in lautis sordide trulla cibus ?

## AD AMARACUM.

E10\_040 v.1 Udis ingratus maledicis, Amarace, lignis,  
 2 venales fumi cui bona lucra ferunt.

## AD ATTALUM.

E10\_041 v.1 Foeda quod urinae sibi vectigalia fecit,  
 2 ipse tibi sordet despuiturque Titus.  
 3 Ast tu plus nihili cum vendas, Attale, fumos,  
 4 turpius his sordens accipis ipse lucrum.

## DE COLUMELLA.

E10\_042 v.1 Non ita cujusque est cupidus mihi credite lucri,  
 2 nec male verbicolae vult Columella gregi.  
 3 Non multa acciperet fulvorum milia numum,  
 4 ut sanctissimus hic cras moreretur homo.

## AD CAROLUM CAESAREM.

E10\_043 v.1 Hei, quam non aequa tricoronis parte Tyrannus,  
 2 Romanum tecum dividit imperium.  
 3 Nam vacuos titulos, vacua et tibi nomina linquit,  
 4 sed vectigales ipse reservat opes.  
 5 Hinc rogat unanimi tua te Germania voto,  
 6 ut tandem qui nunc diceris, esse velis.

## AD IOANNEM CARBONIUM.

E10\_044 v.1 Audi, quaque vales interpres mente voluta,  
 2 qualia praeteritae somnia noctis erant.  
 3 Vindelicaeque piis Synodi propone magistris,  
 4 forte sciunt sibi quid talia monstra velint.  
 5 Stabant Sus, Asinus, Taurus, Lupus, Ursus et Hircus  
 6 qua Latii fulgent veste, mitraque patres.  
 7 Hic crotalo, ille tuba, calamis stridentibus iste,  
 8 ac aliis alii concinere sonis.  
 9 Aureus inter eos aries sua cornua vibrat,  
 10 et salit auditi qui crepuere modi.  
 11 Astat huic triplicem gestans leo fronte coronam,  
 12 atque patienti aquilam mordicus ore tenet.  
 13 Ducit is adstrictam trajecta nare bidentem,  
 14 et docta ad votum dirigit arte suum.  
 15 Ex alia vulpes monachi sub imagine parte,  
 16 ignivomo pigrum callida folle ciet.  
 17 Pone cucullatus crocodilus stuppea pensa  
 18 mandit, et effato, cum stetit igne ciet.  
 19 Grata quidem visu fuerant spectacula, donec  
 20 auscultans numeros se bene gessit ovis.  
 21 Quos ubi respecto grege et upilione reliquit,  
 22 a cunctis simul est praeda petita feris.  
 23 Et ter mille statim laceratam frusta fuisset,  
 24 ni subitam torquens astra tulisset opem.  
 25 Nam saevi ut patulis sequerentur hiatibus hostes,  
 26 ad stygias cunctos fulmen adegit aquas.  
 27 Jamque remissus abit magni Jovis armiger ales,  
 28 et se praepetibus tollit in astra volis.  
 29 Hic excussa quies, nec adhuc pigra lumina solvi,  
 30 cum prope consistens sic mihi Phoebus ait.  
 31 Haec ex dimidia sunt praestita somnia parte,  
 32 postera, quod superest, proferet inde dies.

## DE AUICULA MUSCAS VENANTE.

E10\_045 v.1      Complexae coitu cecidere per aera muscae.  
 2                Vidit, et advolitans has cito prendit avis.  
 3                Discite dum laeto sectamur gaudia corde,  
 4                flebilis a tergo mors sua tela jacit.

## IN ALEANDRUM.

E10\_046 v.1      An sit praecisus, non novi, Aleander Apella,  
 2                non est Judaeus, nec, scio, Christicola.  
 3                Sed neuter, superum contemptor et impius hostis,  
 4                immo colit nullum perfidus ille Deum.  
 5                Attamen insigni est praefectus episcopus urbi,  
 6                quo merito ? Nullo, quam quia talis erat.

## AD SE IPSUM.

E10\_047 v.1      Quanta sit Eurici fortunae disce facultas,  
 2                et rebus melius mox fore fide tuis.  
 3                Non uno poterit semper consistere vultu,  
 4                sed varias mutans fertque refertque vices.  
 5                Si volet haec nudo poteris ditescere saxo,  
 6                sin vetet in medio destituere Tago.  
 7                Paucos ante dies abjectior Attalus Iro  
 8                degit, et in vacuo solus obivit agro.  
 9                Nunc celebri multis famulis stipatus in aula  
 10                inter honoratos ambulat Alpha viros.  
 11                Venalique quod est magis admirabile, fumo,  
 12                tantas tam subito legit et auxit opes.

## AD LONICERUM.

E10\_048 v.1      Jam te terque quaterque, Lonicere  
 2                dilectissime, compater per omne  
 3                siquid dulce tibi meum rogavi,  
 4                et quanta potui virilitate,  
 5                injecta tenui manu ut maneres  
 6                cenatum velut ante saepe mecum.  
 7                Sed vires nihil hic meae, precesque  
 8                nil nostrae valuit sodalitatis  
 9                insolubile vinculum, negasti  
 10                majori improbitate quam rogavi.  
 11                Quid, carissime, suspicer, sodalis,  
 12                quo te crimine dic amabo laesi ?  
 13                An mores nequeunt mei placere,  
 14                quod non sum tetrica severitate,  
 15                nec tristi gravitate subticesco,  
 16                et presso palear remitto mento :  
 17                sed laetis salibus, jocis, cachinnis,  
 18                castis nequitiis, facetiisque,  
 19                nuda simplicitate, candidaque  
 20                libertate, docente sic Minerva

21 ludo, rideo, nugor et cavillor.  
 22 His cum moribus optimos amicos  
 23 multas conciliaverim per urbes,  
 24 te nunc perdere, Lonicere, credam ?  
 25 Quod si forte aliud quid est ineptum  
 26 peccatum, rogo ut indices, tuaque  
 27 fida corripiar monitione.  
 28 Posticasque domi relinque sannas,  
 29 qui conviva meus cupis vocari.

## AD PHARMACOPOLAM.

E10\_049 v.1 Omnia tentavi quae ventrem pharmaca solvunt,  
 2 nec minimus, nedum stercore, flatu iit.  
 3 Imo dura magis solito tam substitit alvus,  
 4 ut similem nequeant mespila ferre moram.  
 5 Ut pigras igitur possim subducere faeces,  
 6 ex adstrictivis danda medela tuis.

## AD MARCUM.

E10\_050 v.1 Ima Pannonios cupis a radice revelli,  
 2 atque bonos nasci denuo, Marce, viros.  
 3 Esto ferax horum, quod non est, terra sit usquam,  
 4 ex quam debent semina gente capi ?

## AD AVITUM DE LEMPO.

E10\_051 v.1 Post tria cum fractam renovasset saecula fenestram,  
 2 et foribus postem Lempus, Avite, suis.  
 3 "Heu, quanti constat quam magna molestia, quam non  
 4 cujusvis, ait, est aedificare viri."

## AD ARVILIUM.

E10\_052 v.1 Qualia sint pepones, Arvili, mala rogasti,  
 2 ablato, pingam quae sit imago, cibo.  
 3 Non habet armipotens illos Germania fructus,  
 4 sed multos pepones Romulus orbis habet.

## DE GELLIA.

E10\_053 v.1 Exigit a quovis mucronem Gellia moecheo,  
 2 milleque jamdudum talia dona tulit.  
 3 Ad quos, forte rogas, ex quo non utitur, usus ?  
 4 Turpis habet, pueris quod dare possit, anus.

## DE QUODAM ATHEO THEOLOGO AD COLLEGAS.

E10\_054 v.1 Jam mortuo grassante peste Francisco

2 novum celebri Theologum cupitis fama.  
 3 Scio triplici clarum eloquentia quemdam  
 4 sacraque promptum exercitumque scriptura,  
 5 cujus fere omnes sic memor locos callet,  
 6 ut non suas melius glabri preces fratres.  
 7 Sed inter has tot, hoc habet vitium, dotes,  
 8 nullum infidelis et impius deum credit.

## AD FESTIVUM AMICUM.

E10\_055 v.1 Propter teque tuamque conjugem jam  
 2 non magno fateor quidem paratu,  
 3 sed quae candidulos decet sodales,  
 4 frugi digna sophis parata cena est.  
 5 Quam si concelebrare denegaris  
 6 sic deserta videbitur, velut si  
 7 nulla virgine nuptiale festum,  
 8 ac ipso peragatur absque sponso.  
 9 Si laetos igitur voles amicos,  
 10 festino precor advola volatu.

## DE MARSO.

E10\_056 v.1 Audi quid hesterna mihi accidit luce,  
 2 jussus venire Marsus ad meam cenam,  
 3 cum pessimo hoste et optimo simul amico,  
 4 comites adduxit et catellum et uxorem.

## AD DIVUM PETRUM.

E10\_057 v.1 Si tua janitor haec fuerant patrimonia, Petre,  
 2 quae Latio parent tot modo regna patri,  
 3 qui mendicanti potuisti dicere claudio,  
 4 quod nullas posses huic dare pauper opes ?

## IN CONSILIA MONTAGNANAE.

E10\_058 v.1 Hoc quicumque meus videbis haeres  
 2 sanis consiliis scatens volumen,  
 3 atque ex hoc querulis mederis aegris,  
 4 cuidam, qui dedit hoc, agas amico  
 5 et dicas meritas, ferasque grates  
 6 pro tanta rogo liberalitate.  
 7 Quisnam forsitan hic sit is requiris,  
 8 est Herdenius utriusque juris  
 9 consultissimus advocatus ille.  
 10 Princeps gloria pauperum reorum,  
 11 qui me perpete prosequens favore,  
 12 Cirrhaeaeque calens amicus undae,  
 13 nugarum quota portio mearum,  
 14 aeternis meruit vehi Camenis.



## AD MATHIAM HERDENIUM.

E10\_059 v.1 En tandem tibi care mi sodalis  
 2 consultissime pauperum patrone,  
 3 promissos epigrammatum libellos.  
 4 Misissem tibi nuper hoc eodem  
 5 quo sum pollicitus die, sed illos  
 6 compactos volui et prius politos  
 7 picta pelleque, sericisque ligis,  
 8 saltem conspicuum foris decorem  
 9 prae se ferre, quotum ut locum mereri  
 10 inter mille volumina illa possent,  
 11 quae pulcherrima mundiore cultu,  
 12 domi tam variae tuae renident,  
 13 nam novi ingenium tuum, nihil quod  
 14 non pulchrum sit et elegans moraris.

## AD IOANNEM THENNERUM.

E10\_060 v.1 Tandem dulce suorum onus locorum  
 2 decem taedia mensium reponens  
 3 enixa est similem mihi puellum  
 4 amantissima, docta, casta conjunx,  
 5 qui lustralibus abluendus undis  
 6 sacrae crastinus inferetur aedi,  
 7 hic dum sedulo scrutor et requiro  
 8 quisnam (qui vetus hic adusque mos est)  
 9 illum suscipiat pius, fidelis,  
 10 et sit, quem modo compatrem vocamus,  
 11 tu occurris mihi candidus sodalis,  
 12 jucundissimus omnium sodalis,  
 13 huic ut maxime idoneus labori.  
 14 Quare te rogo per novem sorores  
 15 et junctas Charitas, patremque Phoebum,  
 16 per carum caput et per omne dulce,  
 17 oro, deprecor, obsecro velis jam  
 18 hoc non officium mihi negare,  
 19 sic digna, mea te Thalia laude  
 20 aeternum memor evehet per aevum.

## EPITAPHIUM SILUNI EUCHARII.

E10\_061 v.1 Cum merita Eucharius conscenderet astra Silunus,  
 2 hic sua cunctiparae reddidit ossa deae.  
 3 Hunc quarto cupiit Pluto pro iudice, verum  
 4 Mercurios voluit Juppiter esse duos.

## AD PRINCIPEM PHILIPPUM.

E10\_062 v.1 Quid deserta lupos venando lustra pererras ?  
 2 Vis capere, in domibus retia tende tuis.

## AD HERMANNUM BUSCHIUM.

E10\_063 v.1      Quem doctissime nobilisque Buschi  
 2                    silvestrem leporem mihi dedisti,  
 3                    blax ut beta meo sapit palato,  
 4                    urbano nisi condias lepore.  
 5                    Quare mox ubi quinta tinnit hora,  
 6                    ad cenam propere meam venito.  
 7                    Nosti quae mihi bilis incalescat,  
 8                    dum cogor posita famere lance.

## IN FORES IOANNIS RUI AD HEREDEM.

E10\_064 v.1      Quas frugi coluit cave linguas prodigus aedes,  
 2                    est mea, dic potius, quam fuit illa domus.

## IN IMAGINEM SACRAE SCRIPTURAE.

E10\_065 v.1      Quae diva es ? Sacra sum Scriptura. Quis ille protervus  
 2                    vim parat et torto te male crine trahit ?  
 3                    Impius hic papa est quae tanti causa furoris ?  
 4                    Votis morigeram me cupit esse suis.

## AD LURCONEM QUEMDAM.

E10\_066 v.1      Quattuor hebdomadas pluviis Lanus albicat undis,  
 2                    et quare maneant turbida musta, rogas ?

## IN AEDES SUAS.

E10\_067 v.1      Extera quem tellus celebrat, latet aedibus istis,  
 2                    ignotus patriae, Cordus in urbe, suae.  
 3                    Has quicumque subis prius admoneare viator,  
 4                    candidus est hospes, candidus hospes ades.

## DE LAUTITIIS URBINI.

E10\_068 v.1      Dum pridianam jam recalfacere crambem  
 2                    parco pararet igne sedula Priscilla,  
 3                    subincrepans maritus inquit Urbinus,  
 4                    carissimi quid ista perditio ligni ?  
 5                    Quin frigidam, ut servemus illud, apponis ?  
 6                    Lautusne, dic, Urbinus est liguritor.

## DE EODEM.

E10\_069 v.1      Nullas emit carnes avarus Urbinus  
 2                    nisi sola vervecum et caprorum capita, et non  
 3                    semper quidem, et non omnia, imo tunc postquam

4 multis diu instabilis diebus autumni,  
 5 computruere et sordido fluunt tabo,  
 6 et unico prostant decem pro quadrante,  
 7 tum se Tarentinum et Sybaritanum civem  
 8 splendente crapularier putat luxu.

EPITAPHIUM ELIZABETAE LAEDAE.

E10\_070 v.1 Sanctissimae rarum pudicitiae exemplum  
 2 et totius specimen decusque honestatis  
 3 qua vix magis frugi piamque Matronam  
 4 habuit vetus, nec habebit inde Marpurgum  
 5 isto cubans Elizabetha sub saxo  
 6 manet supremum iudicis diem Christi.

DE BETA.

E10\_071 v.1 Tanta Beta fide est, ut mille quod ante decembres  
 2 promisit, nullo praestet agente foro.

AD ERHARDUM SNEPFUM. DE THRASILLO.

E10\_072 v.1 Exorsus graviter nuper laudare Thrasillus  
 2 quemdam qui doceat mystica scripta virum.  
 3 "Optimus est, inquit, Graecus, summusque Latinus,  
 4 et pius, et mire relligiosus homo.  
 5 Sed parvum vitium est, tacito livore laborat,  
 6 nec scit majorem, nec bene ferre parem."  
 7 Tam bonus est Rhetor noster, pie Sneppe, Thrasillus,  
 8 quam bonus in sacris ille professor erit.

AD LUSCUM.

E10\_073 v.1 Nescio quo scripto timuisti, Lusce, libello,  
 2 inferret miseram ne tibi Papa necem.  
 3 Ante quinque ille est vel sex nunc editus annos,  
 4 et summa tutus, Lusce, quiete sedes.

IN CAUPONAM.

E10\_074 v.1 Hic potans, caveas, calices mihi fregeris hospes,  
 2 tertia nec saevas provocet uva manus.

IN MUSAEUM SUUM.

E10\_075 v.1 Hinc omnis strepitus, procul omnis cura facessat,  
 2 et subeat tacito paxque quiesque pede.  
 3 Nam sacra tranquillae tractant hic otia Musae,  
 4 auscultansque suas tendit Apollo fides.

## AD HYLAM.

E10\_076 v.1 Maximus Hippocrates nostra novus hospes in urbe,  
 2 a stupida credi et vis, Hyla, plebe coli.  
 3 Et potes esse statim, ut jam magnus hypocrita, quando  
 4 addideris quasdam, sustulerisque notas.

## AD RUSTICUM.

E10\_077 v.1 Vendere sicca mihi juras te, rustice, ligna,  
 2 quae tamen adnatis cerno virere comis.  
 3 Non magis hinc veteris virgam mirabor Aaron,  
 4 nam certam faciunt omnibus illa fidem.

## DE LUCIA.

E10\_078 v.1 E viridi textam fert Lucia fronde coronam,  
 2 sed velut admissum passa juvenca marem.

## DE PHILARCHO.

E10\_079 v.1 Cur nequit indoctus doctos hic ferre, Philarchus,  
 2 non, sua vult sanos facta videre viros.

## AD LUCIDIUM.

E10\_080 v.1 Nec doctum Numa se, nec eloquentem  
 2 jucundissime, Lucidi, fatetur,  
 3 verum tam bene se docere jactat,  
 4 quam quicumque alius magister, imo  
 5 hanc laudem sibi vult peculiarem  
 6 deberi, quid ad hoc, amice, dicam ?  
 7 Multo haec digna stupore res, quis umquam  
 8 mutam vidit imaginem docere.

## AD QUEMDAM AMICUM.

E10\_081 v.1 Actor Palladius reum Silenum  
 2 quod se sacrilegum vocasset, in jus  
 3 traxit ; tunc trepidus Silenus inquit :  
 4 "Id sum stultus et ebrius locutus,  
 5 cui sic Palladius, quid illud ad rem ?  
 6 In vino sita veritas. Quid ergo,  
 7 prave, praeses ait, bono Sileno,  
 8 praestas vera negotium dicenti ?"  
 9 Qui causae fuit exitus requiris ?  
 10 Ut advenit uterque sic abivit.

## AD PHRYGA.

E10\_082 v.1 Te miro jactas mihi, Phryx, candore favere,  
2 mirus is est certe, qui simul et niger est.

## AD ADAMUM CRATONEM.

E10\_083 v.1 Optimus est aries ovium Mammurra suarum,  
2 ergo novum quid eis quaeris, Adame, ducem ?  
3 Fac maneat, numquam, quicumque sit alter, amabit,  
4 augebitque datum sic, velut ille gregem.

## AD PHAEDRUM.

E10\_084 v.1 Tam bonus iste tuus canis est ut donec alebas,  
2 nullus adhuc emptus sit tibi, Phaedre, lepus.

## AD SNEPPHUM.

E10\_085 v.1 Jam longam fore, Snepphe, contionem  
2 frigescens metuit tuam popellus.  
3 Quare, te scio jam rogare, dicam  
4 hanc exorsus, ais, brevem futuram.

## IN THERIACA ET ALEXIPHARMACA NICANDRI.

E10\_086 v.1 Contra quosque suas, morsus ictusque medelas,  
2 Nicandrina sacro carmine Musa docet.  
3 Praeterquam dirae liventia vulnera linguae,  
4 illud nulla potest vincere cura malum.  
5 Ergo quis hanc dubitet pejorem dicere pestem,  
6 quam, quae totus habet, cuncta venena liber.

## AD HOSPITEM QUEMDAM.

E10\_087 v.1 Quos scis infestos tecum mihi colligis hostes,  
2 et me convivam poscis adesse tuum.  
3 Excusatum habeas rogo me, mea conjuge non vult  
4 uxor, nec proles patre carere suo.

## AD EUERBINUM.

E10\_088 v.1 Ut pyra non noceant, extra mudentur, et intra,  
2 mox immerge sali, projice deinde foras.

## AD PSYLLOXENUM.

E10\_089 v.1 Magnifici tibi sunt hospes, Psylloxene, lecti,  
2 ut qui ter centum myriades capiant.

## AD BLANDIUM.

E10\_090 v.1 Tuum in prognosticon, Blandi, meum quoddam  
 2 ad candidum cupis Epigramma lectorem,  
 3 equidem paratus et libens tibi parerem,  
 4 nisi abnuens votis Apollo recusaret.  
 5 Tamen indicat quoddam Leonidae carmen  
 6 quo digna vestrae encomia artis hic effert,  
 7 quod sume si tibi placebit, et est illud  
 8 si non iisdem versibus, tamen verbis.

## IN PROGNOSTICA ASTROLOGORUM.

E10\_091 v.1 Caelestium quicumque semitam astrorum  
 2 inquiritis vates valetate mendaces,  
 3 vanissimae sapientiae professores,  
 4 vestra obstetrix Amentia est, parit vero  
 5 vos Temeritas, miserabiles nequeutesque  
 6 vestri malam videre nominis labem.

## DE ZIGARO ET AURIFABRO.

E10\_092 v.1 Optimum Aventinus tulit Aphro Zigarus aurum,  
 2 et sibi formandum postulat inde scyphum.  
 3 Qua fecit, jam forte rogas, hunc arte fideve,  
 4 Zigarus Aventino Zigarus Apher erat.

## AD ECCUM.

E10\_093 v.1 Hunc dat, care, tibi Cordus tuus, Ecce, libellum,  
 2 tu memor haec veteris dona sodalis habe.  
 3 Aonias sacra cum religione sorores  
 4 percolis, haec studiis sint alimenta tuis.

## DE QUIBUSDAM APOSTATIS.

E10\_094 v.1 Perfuga ni monachus fuerit, bonus esse professor  
 2 hic nequit, et nullo cultus honore placet.  
 3 Haec sibi colludit, reliquosque farina repretit,  
 4 insigni celebres corde fideque viros.  
 5 Dii faciant ista semel urbs haec peste levetur,  
 6 ut decoret nostram candida turba scholam.

## IN BLANDIUM.

E10\_095 v.1 Quidam te nostri summum decus esse Lycei,  
 2 sed summum ejusdem dedecus ille, refert.  
 3 A quo laudari, turpi ceu labe notari est,  
 4 namque sui similes praedicat ille viros.

5 Frustra igitur tantis adeo te fastibus effers,  
 6 et tibi supremum poscis habere locum.  
 7 Quare Phocaici titulo te corrige templi,  
 8 omega cum fueris, quid cupis alpha coli ?

IN MALUM PICTOREM.

E10\_096 v.1 Omnia quae pingis, quae sint animalia dicam,  
 2 sed addito illis nomine,  
 3 Quo sine, sus, vulpes, asinus mihi vacca videtur,  
 4 olor otis, et siren draco.

IN APHRUM.

E10\_097 v.1 Scripto Apher notus cupit omnibus esse libello,  
 2 dispeream male, si, quod cupit esse, velit.

EURICII CORDI EPIGRAMMATUM LIBER UNDECIMUS.

AD GEORGIUM STURTIUM.

E11\_001 v.1 Rara licet veniat tibi littera, candide Sturti,  
 2 usque tamen Cordus sum velut ante tuus.  
 3 Integer, humanus, facilis, sincerus amicus,  
 4 qui tibi pro lata plurima debet ope.  
 5 Et nisi Pieridum reputes quid dona sororum,  
 6 se queritur nullas reddere posse vices.  
 7 Grata, precor, donec res suppetat, esto voluntas,  
 8 saepius haec omnes exsuperavit opes.

AD VALERIUM CORDUM FILIUM.

E11\_002 v.1 Aptae Mathematicas ubi mens aspirat ad artes,  
 2 laxa tibi studiis frena remitto tuis.  
 3 Hoc tamen admonitu, praescriptis finibus ut te  
 4 contineas, certum constituasque modum.  
 5 Scire licet vaga quo se volvunt sidera motu,  
 6 quem teneat terrae quaelibet ora situm.  
 7 Quae numeri virtus, quae vocum arcana potestas,  
 8 et quodcumque fluens linea ducit opus.

9 Sed fuge dementum mendax genus astrologorum,  
 10 quaeque docent vanis frivola scripta libris.  
 11 Haec medicis adeo nihil ars habet utile rebus,  
 12 ut constet multis saepe nocere modis.  
 13 Illice delectat, fateor, dulcedine, verum  
 14 efficit expertes religione viros.  
 15 Hinc, quod ei sancta divina oracula lege  
 16 praecipiant nullam nos adhibere fidem.  
 17 Malo quod indoctus, quam quod sis impius, ergo  
 18 disce, ut doctorem confiteare deum.

## EURICIUS CORDUS AD STUDIOSAM JUVENTUTEM.

E11\_003 v.1 Quando venenatis metuendus Apollo sagittis  
 2 saevit ad undosum, qua schola nostra, Lanum.  
 3 Sic rude commeruit, sacra temnens munera, vulgus,  
 4 dum spurco sanctum polluit ore chorum.  
 5 Francobergiaca sedem mutavimus urbe,  
 6 tutus ubi tali restat ab hoste locus,  
 7 qui gelidum celsa boream prospectat ab arce,  
 8 et recipit rutilae vivida flabra deae.  
 9 Hic tortis vitreus maeandris Aedera ludit,  
 10 nobilis hic Gosi surgit apricus apex.  
 11 Quem profugae, ut vidit primum illas Hessia, Musae,  
 12 tot prius assuetis ante tulere jugis.  
 13 Doctus eas casto sic Horlus amore coegit,  
 14 et magis arridens, et magis apta domus.  
 15 Hic meus, ac Hessi teneris praeceptor in annis,  
 16 ante pias, pascens, it Ludovicus oves.  
 17 Expressi merito dictus cognomine Christi,  
 18 nam bonus insigni vir pietate nitet.  
 19 Hic simplex, fateor, sed mire candida plebes  
 20 nos fovet expanso mitis alumna sinu.  
 21 Non gravis hic livor, non vana superbia, verum  
 22 integra conspirat vita, piensque favor.  
 23 His lectis, quid adhuc cessantes statis Ephebi,  
 24 quos decuit celeri jam properare pede.

## AD POMPILIANUM.

E11\_004 v.1 Factus es in nostra jam frumentarius urbe,  
 2 et plenae dominus, Pompiliane, domus.  
 3 Cur non ergo tui tibi congratentur amici,  
 4 laetius hinc quando sit pecus omne tuum.

## AD EOBANUM HESSUM.

E11\_005 v.1 Exiguam tibi scribo schedam, tu grande volumen,  
 2 officiumque facis, summe Poeta, tuum.  
 3 Non minus antiquum me crede manere sodalem,  
 4 idem, quae cumque est sors mea, Cordus ero.  
 5 Lassa manus torpet, viget immutabile pectus,  
 6 et, brevis ut fuerit littera, longus amor.



## DE ACHATIO.

E11\_006 v.1 Saeviit extracto furiosus Achatius ense,  
 2 et multas diras intulit atque minas.  
 3 Cum nihil adversum terreri cerneret hostem,  
 4 immo rebellantes tollere velle manus.  
 5 "O, ait, astantes quin me retinetis amici,  
 6 ne miseram patrem mox homicida necem."

## AD CHRISTIANUM EGENOLPHUM.

E11\_007 v.1 Pluribus hic annis ago doctos inter amicos,  
 2 convivamque petens saepe celebros chorum ;  
 3 sed non grata magis facilem mihi gaudia frontem,  
 4 quam cenae mihi tunc explicuere tuae.  
 5 Cum veterem licuit Dammum spectare sodalem,  
 6 nobile Brunsvici Pieridumque decus.  
 7 Atque mihi optatum jam per duo lustra Micycillum,  
 8 insignem, triplici qui sonat ore, virum.  
 9 Ut mores, Egenolphe, tuos, et candida corda,  
 10 et junctam taceam cum pietate fidem.  
 11 O dulcis lepor, o dignissimae Apolline nugae,  
 12 o sine dente sales, o sine felle joci.  
 13 Illo praetulerim semper convivere pacto,  
 14 jugiter appositos quam vacuare scyphos.

## AD LONICERUM.

E11\_008 v.1 Jam spoliasset decem devictam moenia Romam,  
 2 non mirere, decem vix habet illa viros.

## AD HERMANNUM BUSCHIUM.

E11\_009 v.1 Cur mea prata locum venturum, quaeris, in annum ?  
 2 Uda fore astrologus tempora Blandus ait.

## IN BLANDUM.

E11\_010 v.1 Jam semel una dies, post tot mendacia venit,  
 2 hanc ut ephemerides praestituere tuae.  
 3 Hinc adeo vana quid demens laude superbis,  
 4 factus fortuita, blande, propheta fide ?  
 5 Post multos tandem Coos, Chiosque canesque,  
 6 quadruplici dispar emicat ore Venus.

## AD EUMDEM.

E11\_011 v.1 Perdita consulto quaerentibus omnia caelo  
 2 prodis, et hac celebrem te facis arte virum.

3 Quaesi non vana est, dic quis suspectus adulter  
4 uxorem teneat, reddat ut ille, tuam.

AD HERMANNUM BUSCHIUM.

E11\_012 v.1 Das totam mihi Nurnbergam, suavissime Buschi,  
2 nunc propriam tandem dicar habere domum.

AD CURCULIANUM.

E11\_013 v.1 Tantus es hac civis, nemo ut tibi pistor in urbe  
2 diminuatur panes, Curculiane, tuos.

AD IOANNEM RHODURGUM.

E11\_014 v.1 Forte quod ante merum fuit, est nunc debile crama,  
2 non maledic, omni res caret illa dolo.  
3 Audiit id tacitas ignitum reddere flammam  
4 sedulus, et plenum sulphuris esse, puer.  
5 Ergo flagraturi metuens incendia vasis,  
6 infusa propere miscuit illud aqua.

IN CASEARIAM LANCEM.

E11\_015 v.1 Non Heraclitus, non Argus sit, neque Nestor,  
2 sic bonus et gratus caseus esse potest.

AD ERHARDUM SNEPPHUM.

E11\_016 v.1 Quaque die potus, repetis cum limina Naso,  
2 incidit in foedum terque quaterque lutum.  
3 Hunc sancto quid, Snephe, jubes discedere coetu,  
4 justus, vel Christo iudice, Naso vir est.

AD PRINCIPEM PHILIPPUM.

E11\_017 v.1 Silvarum custos cupit Euclius esse tuarum,  
2 non sine, ni numeres singula ligna, prius.  
3 Id te posse negas, si custodiverit ille,  
4 non ita post multos posse querere dies.

HESSIA AD PRINCIPEM SUUM PHILIPPUM DE NOVO NATO PRINCIPE.

E11\_018 v.1 Assiduis tandem non invida numina votis,  
2 audivere tuas, magne Philippe, preces.  
3 Aeditus est simili referens te filius ore,  
4 et decus et numen quem fore spero meum.  
5 Hanc tamen aeterno differri tempore laudem,  
6 tanta tibi fuerit si data vita, velim.

## AD PRINCIPEM PHILIPPUM.

E11\_019 v.1 Abstulit indomito pontem gravis unda tumultu,  
 2 quando tuus medium transgrederetur equus.  
 3 Nec resoluta prius fluitantis machina, quam te  
 4 securae salvam restituisset humo.  
 5 Quantae sis superis, pie princeps aspice, curae,  
 6 et servatorem perge timere deum.

## AD EUMDEM.

E11\_020 v.1 Diruit en liquidus tria propugnacula fluctus,  
 2 quae duros ratus es temnere posse globos.  
 3 Disce quod humanis non tutum est fidere rebus,  
 4 ni ferat auxilium, qui facit illa, suum.  
 5 Illius assistens si quemquam dextra tuetur,  
 6 omnes fortunae rideat ille minas.

## DE DILUVIO CASSILIENSI.

E11\_021 v.1 Multa repentino dum fluctu sternitur arbor,  
 2 et prope non laeso brassica caule manet.  
 3 Quis putet, hoc aliud, vates, portendere, quam quod  
 4 respiciens humiles, non amet alta deus.

## AD LONICERUM.

E11\_022 v.1 Octo diu elatis ludi siluere magistris,  
 2 et vacuas ambit nemo subire vices.  
 3 En novus in paucis dum lictor quaeritur horis,  
 4 hoc unum munus sex petiere viri.  
 5 Heu, quam nulla sacris magis est reverentia Musis,  
 6 quam studiis nostris nullus habetur honor.  
 7 Si talis multos pergit contemptus in annos,  
 8 quae miserae facies posteritatis erit ?  
 9 Omnis enim pietas simul et respublica cessat,  
 10 qua docti sordent deficiuntque viri.

## AD SAULUM.

E11\_023 v.1 Omnes si, quod ais, calles discernere morbos,  
 2 quo genitor periit dic mihi, Saule, tuus ?

## DE QUODAM FRANCISCANO.

E11\_024 v.1 Captator moechus morientem quaesiit Aulum,  
 2 legatas patribus num dare vellet opes.  
 3 Supposuitque simul cervici fraude sinistram,  
 4 movit, ut adjutans tolleret ille caput.

5 Id cernens simili sic filius arte rogavit,  
 6 vis ut det poenas furcifer ille suas ?  
 7 Correptaque statim, quo cinxit is ilia, fune,  
 8 suspendit sanctum pro laqueare virum.

## AD LARGUM.

E11\_025 v.1 Plurima lascivis dispendis dona puellis,  
 2 quae famam temerant dedecorantque tuam.  
 3 En castae veniunt et poscunt vilia Musae,  
 4 inclutus ex quarum carmine surgit honor.  
 5 Ad genialia jam culto mihi gaudia, deficit  
 6 quae similes ornet serica pera togas.  
 7 Si placidae possunt hanc impetrare sorores,  
 8 tunc dicam Clario te bene velle choro.

## DE BIBULO.

E11\_026 v.1 Languidus occumbit Bibulus, "Qua peste ?" rogatis :  
 2 ebrius hesterno non fuit ille die.

## IN ARROGANTEM QUEMDAM.

E11\_027 v.1 Nemo ubi te dominum doctorem dicere curet,  
 2 mandas filiolis sic vocitare tuis.

## IN EUMDEM.

E11\_028 v.1 Abjectis truncata notis, tua nomina praefers  
 2 ante tuum primum quod tamen edis, opus.  
 3 Omnibus ac notus fueris lectoribus auctor,  
 4 Tullius ut Cicero, Virgiliusve Maro.  
 5 Integra pone suis vel adhuc tria nomina signis,  
 6 tota tamen qui sis, Musica turba rogat.

## AD BERTOLDUM MEDICUM.

E11\_029 v.1 Pessima cessanti tandem symptomata feбри  
 2 succedunt, miseris te cruciantque modis.  
 3 Vis verum dicam, Bertolde, tibi nihil aequae,  
 4 obfuit, ac, quod non, et quod eras medicus.

## NOVUS NATUS PRINCEPS AD GENETHLIACI SUI AUCTOREM.

E11\_030 v.1 Quale genethliacon dic, care poeta, capessam ?  
 2 Quod mihi vel nomen vel decus illud erit ?  
 3 Quando meum celebrat ducens ex manibus ortum,  
 4 et brutam carnem, -met tua- musa vocat.

## AD PRINCIPEM PUERUM.

E11\_031 v.1 Illustris puer haec cape sano carmina sensu,  
 2 majores, manes nominat ille tuos.  
 3 Et brutam carnem, rude adhuc, sub viscere corpus,  
 4 sit bonus interpres, non mala verba nocent.

## AD GRAECULUM.

E11\_032 v.1 Quod non sit Graecus, malus est medicus tibi Cordus,  
 2 ergo tu Graecans, optimus es medicus.

## DE ANSERE VITELLINO.

E11\_033 v.1 Novem diebus Anser hic Vitellinus  
 2 theologicae sophiae fuit quotus auditor,  
 3 Graecos et Hebraicos dehinc professores  
 4 non longiore singulum spatio elegit.  
 5 Ab his statim defecit ad medicas herbas,  
 6 quas tertia dum bibulus hebdomada exhaustit.  
 7 Ad sancta jurium volumina se vertit,  
 8 sed quam diu daturus his operam, ignoro,  
 9 quia circulum mathematicum et radium fecit.  
 10 Si prosequetur hoc, suum studium, pacto,  
 11 totam unico anno absolvet encyclopaediam.

## IN PINDARUM.

E11\_034 v.1 Martia sectetur discissus tympana miles,  
 2 et streperos lituos, terribilesque tubas.  
 3 Te Phoebea decent imberbis carmina pubes,  
 4 convenit hic studiis cultus amorque tuis.  
 5 Pindaricos igitur facili cape pectore cantus,  
 6 et sua belligero classica linque deo.

## INIQUITAS AIT.

E11\_035 v.1 Aspiciens nostram lector mirabere libram,  
 2 hinc quam sit leve jus, quam gravis inde favor,  
 3 cujus drachma licet, totum tamen illius assem  
 4 elevat, hoc pro te stante nihil metue.

## IN FORMICARUM SEMITAM.

E11\_036 v.1 Aspicias attritum formicarum grege saxum,  
 2 dum per idem gressus ille frequentat iter.  
 3 Cur igitur deses torpescis, ephebe, vide quid  
 4 sedulitas, etiam quantulacumque, juvet.

## IN QUEMDAM MALUM GYMNASIARCHAM ERFORDIENSEM.

E11\_037 v.1 Alma vale sacris modo dic Erfordia musis,  
 2 et nova migrantes quaerere tecta jube.  
 3 Nulla magis spes est rediturae deinde salutis,  
 4 imminet, heu, studiis certa ruina tuis.  
 5 Impius, indoctus, lusor, scortator, asotus,  
 6 quam regit, exspectes posse manere, scholam ?

## DE SCARABAEO.

E11\_038 v.1 En ut acerbisonis Scarabaeus strideat alis,  
 2 et petat in foedo sordida tecta fimo.  
 3 Non, licet exiguum prudens contemne volucrem,  
 4 reginam potuit vincere nuper avem.  
 5 Immo lacescito tentavit bella Tonanti,  
 6 non est e facie res reputanda sua.

## AD GERMANIAM.

E11\_039 v.1 Quid nova bella paras sanctae Germania Romae ?  
 2 Desine, te facili vicerit illa manu.  
 3 Omnes Papa suos barbam submittere Christos  
 4 jussit, erunt rigidi mascula scorta viri.

## AD IOANNEM RALLAM.

E11\_040 v.1 Quos mihi donasti, cepi gratissimus orbes,  
 2 non leve constantis pignus amicitiae.  
 3 Hos ut conspicuo dignarer honore, vocavi  
 4 convivam Charitum Pieridumque chorum.  
 5 Par musis numerus fuit, hoc quae munere tantum  
 6 usae porrectos apposuerunt cibos.  
 7 At nudae, candens ut non mensale, puellae  
 8 inficerent, vacuas abstinuerunt manus.  
 9 Vis igitur socia cunctas convivere mensa,  
 10 turba fac haec orbes sumat, ut illa, suos.

## AD HERMANNUM BUSCHIUM.

E11\_041 v.1 Quid rauca semper inter alvearia,  
 2 et exeuntes et revertentes apes  
 3 tam sedulus verser rogas, dicam tibi.  
 4 Juvat semel videre quod non antea  
 5 in omnibus Germaniae licuit locis,  
 6 nisi forte Noricae pios urbis viros,  
 7 Argentoratensesque cives dempseris,  
 8 quid hoc ? Bonos mores, bonam rempublicam.

## AD MAUSOLIUM.

E11\_042 v.1     Sunt tibi sacra merae Mausoli carmina nugae,  
                   2             ast ego divitias osculor illa meas.  
                   3     Cur ? Quia tu stupido cupis illucescere vulgo,  
                   4             mens mea praeclaris posse placere viris.

## AD HERMANNUM BUSCHIUM.

E11\_043 v.1     Hoc tibi consulto medicamen Apolline scripsit  
                   2             ut valeas, Cordus, clare poeta, tuus.  
                   3     Nobilis est in eo quae det nova robora virtus,  
                   4             munus ut expediant omnia membra suum.  
                   5     Nempe triplex jecoris, cordis, cerebrique facultas  
                   6             certam fortior hinc experietur opem.

## AD CIVEM QUEMDAM.

E11\_044 v.1     Morbida vicini culpas habitacula claustris,  
                   2             filiolamque paras hinc revocare tuam.  
                   3     Tam sanus locus est, ut multis nulla sit annis,  
                   4             praeside Taurino, mortua virgo, patre.

## AD AUARUM QUEMDAM.

E11\_045 v.1     Sex agis hic annos, nec nota tibi est via, qua, ne  
                   2             obvius aspectum creditor angat, eas.

## AD AREOLANUM.

E11\_046 v.1     Instrue me dominae qui fiam commodus aulae,  
                   2             et placeant mores, Areolane, mei.  
                   3     Illam quandoquidem callere catissimus artem  
                   4             diceris, infanti doctus ab ungue puer.  
                   5     Excute sinceram recto cum pectore mentem,  
                   6             ingenuumque tuo prodeat ore nihil.  
                   7     Indue serviles animos, fictoque favore  
                   8             vel minimis famulis, qua potes arte, place.  
                   9     Blandus adulator, levis assentator haberi  
                   10             ne pudeat, nullus sit pietatis amor.  
                   11     Nullis flagitiis, nulloque offendere fastu,  
                   12             indignissima fer quaeque, nefanda proba.  
                   13     Dissimula simula, servi bene, sed male fide,  
                   14             denique nulla bonus vir tibi dona pete.  
                   15     Hei, quid ais ? Cupit hoc sapiens homo vivere pacto,  
                   16             cui vel nuda domi rodere crusta licet ?

## AD ERASMUM.

E11\_047 v.1     Quam bonus et levis est renum lapis ille tuorum,  
                   2             qui non affligit te, nisi quando voles.

## DE PLANCO.

E11\_048 v.1 Nuper ut horribilem vidit lucere cometam,  
 2           territus attonito pectore, Plancus ait :  
 3 magnis illa viris fax tristia fata minatur,  
 4           summe caput quaeso Christe tuere meum.

## AD DUCEM ERICHUM.

E11\_049 v.1 Visum est Neustadium, pie Dux, mihi, visa Calinga,  
 2           atque brevi distans, hinc Calibergera via,  
 3 et quae dicta tuo jam surgit nomine sedes,  
 4           ac aliae tota sub ditione domus  
 5 hei mihi, quae moles, quae propugnacula surgunt,  
 6           quam praeceps altis imminet agger aquis.  
 7 Si nova Titanes instaurent proelia, credam,  
 8           demigraturos haec in asyla deos.  
 9 Tales nemo locat nisi qui quoque diruit arces,  
 10          vult similes animos utraque res, et opes.

## IN ARCEM NEUSTADII.

E11\_050 v.1 Quam sint firma vides mihi propugnacula, verum  
 2           si velit, iratus conteret illa deus.

## IN CALINGAM.

E11\_051 v.1 Hos bene munitos domini confidite muros,  
 2           intra quos aequum, jusque, piumque manet.

## IN CALIBERGAM.

E11\_052 v.1 Si modo protectrix Domini me dextera servet,  
 2           non metuo vires dira Boarda tuas.

## IN ERICHIBURGUM.

E11\_053 v.1 Quid tantam stupidus miraris surgere molem,  
 2           extulit ex ima fortis Erichus humo,  
 3 ex hoc perpetuos clarum gero nomen in annos,  
 4           nec minus auctori sum decus ipsa meo.

## AD IACOBUM REINHARDUM CANCELLARIUM.

E11\_054 v.1 Quod video monstrum ? Bonus et pius, atque disertus,  
 2           et simul aulicus es, sic ut ameris, homo.  
 3 Scilicet illius est genii pulcherrima virtus,  
 4           hostes ut soleat conciliare suos.



## AD EUMDEM.

E11\_055 v.1      Miraris facili quod te complectar amore,  
 2                    et mea non dubitem credere corda tibi.  
 3      Dum nec sumpta salis mihi tecum mica, nec ante  
 4                    hesternum visus sis, Iacobe, diem.  
 5      Non tua me facies, non suaves fallere mores,  
 6                    tanta nec integritas, simplicitasque potest.  
 7      Ipsa sua lucens se prodit imagine virtus,  
 8                    atque bonos semper cogit amare viros.

## IN RUFFUM.

E11\_056 v.1      Tuae priorem uxoris aegrum qui virum  
 2                    suae favente sanitati Apolline  
 3                    restituerim, meruisse me dicis nihil.  
 4                    Sed optimum deinde multa Zigarum,  
 5                    cur ante quo sublatus is cessit tibi.  
 6                    Illud libens patiensque scommaperfero,  
 7                    malusque semper esse sic medicus volo,  
 8                    sed interim hic quem te virum facias vide.

## AD LUCILIUM.

E11\_057 v.1      Hac nocte somnium fuit,  
 2                    ut somnio non crederem.  
 3                    Dic nunc, amice Lucili,  
 4                    an somnio credam meo ?

## AD BARTHOLOMEUM LATOMUM ET IOANNEM STURMIUM.

E11\_058 v.1      Jucundissime Latome mi, et mi candide Sturmi,  
 2                    multa excellentes integritate viri,  
 3                    queis doctae doctis Musae et citharoedus Apollo,  
 4                    ut sua quos cernunt tangere sacra, favent.  
 5                    Quosque stupente suum jam nunc decus agmine cingunt,  
 6                    tot celebres Sequanae suspiciuntque scholae.  
 7                    Usque redux summo vos natus laudibus effert,  
 8                    quod sit vestra istic jutus et auctus ope.  
 9                    Perfidus hinc ut eum Petrus Lemmaius ad vos  
 10                    abductum medio liquit in exilio.  
 11                    Emunxitque suis promittens grandia nummis,  
 12                    et nullam falso praestitit ore fidem.  
 13                    Imo jam patriam postquam est deductus urbem,  
 14                    sustinuit comitem flere, querique suum.  
 15                    Vos miserati, inopem juvenem excepistis amici,  
 16                    fovistisque datis aedibus atque cibis.  
 17                    Tam grata haec mihi res, ut si concessa facultas,  
 18                    reddam promeritas hinc aliquando vices.  
 19                    Interea, quod nulla potest fortuna vetare,  
 20                    sincera gratus vos ego mente colam.

21 Atque illum diro proscindam carmine Gallum,  
22 sed rabido malle dente trucique manu.

AD PHILIPPUM MELANTHONEM PRO JUSTINO SUO.

E11\_059 v.1 Quem commendavi tibi, tu mihi rursus amicum  
2 commendas, vestrae fama, Philippe, scholae.  
3 Utque novis coeptum, petis, auctibus usque favorem  
4 vel causa pergam dehinc cumulare tua.  
5 Hoc insignem hominem miro candore mereri,  
6 inque sacri prona numina mente chori.  
7 Multa licet nequeam, tamen est praestare voluntas,  
8 nam mihi Justinus carior esse nequit.

IN SCIOLUM DISCIPULUM

E11\_060 v.1 Vix unum medicis navasti rebus ad annum,  
2 et jam discipulum te pudet esse meum.  
3 Hac quoque praestantem te jactas arte magistrum,  
4 quin etiam Meles praedicat esse tuus,  
5 mutua sic ambo, taceo qui, lucra paratis,  
6 interea nihili Cordus habetur homo.  
7 Vis : volo, sed mordax verus tibi dicere verum,  
8 bardus habet medicum pharmacopola suum.

IN AESCULUM ASTROLOGUM.

E11\_061 v.1 Conspicis in supero quid agat Venus, Aescule, caelo,  
2 atque domi nescis quid paret illa tuae.

IN EUMDEM.

E11\_062 v.1 Per, quaecumque petis, semper convivia jactas,  
2 non bonus est medicus quin sit et astrologus.  
3 Hac malus Hippocrates, malus est ratione Galenus,  
4 et veteres quotquot qui sapere viri.  
5 Id qui dicit inops sensus homo creditur, imo  
6 est mendace fere vanior astrologo.

IN ASTROLOGUM QUEMDAM.

E11\_063 v.1 Innumera exiguo prognostica tempore vendis,  
2 quando mei prostant integra lustra libri.  
3 Isto stulte mihi te frustra nomine praefers,  
4 docti nostra viri, blax tua vulgus emit.

AD SABINUM.

E11\_064 v.1 Quosque mathematicos tibi te lucentibus astris,  
2 quaeque ferant, et quo fata tenore, rogas.

3 Ipse tuus nullo consulto sidere vates,  
 4 si dicam vero, crede, Sabine, mihi.  
 5 Hanc donec vanam sapiens non tempseris artem,  
 6 tranquillo nullum pectore tempus ages.

IN QUEMDAM MATHEMATICUM.

E11\_065 v.1 Quattuor enixam proles te ducere matrem  
 2 in fatis fuerat, te tibi, Blande, tuis.  
 3 Haec sapiens ut vir superares, ducta iuvenca est,  
 4 cujus adhuc nudum fert suaserta caput  
 5 sed cum quinque parens puerorum virgo sit illa,  
 6 quam verus vincas fata propheta vide.

AD AMICUM.

E11\_066 v.1 Quod diuturna citi jam cessent tormina ventris,  
 2 mutatum credis non nocuisse locum.  
 3 Falleris, hanc potius quod vivis dixero causam :  
 4 quod procul a medico vivis, amice, tuo.

AD LONGINUM.

E11\_067 v.1 Quidam ut mox ducas uxorem suadet amicus,  
 2 consulis hic Cordum, suavis amice, tuum.  
 3 Sed nova ne veteri crudescat in hoste simultas,  
 4 consilium prorsus dicere nolo meum.  
 5 Prima tibi Aldini, quod poscis, pagina libri  
 6 dicet, pictura, quam bene cerne sua.

AD EBERHARDUM A THANNIS.

E11\_068 v.1 En sanum, quem languentem pleuritide servum  
 2 misisti, noster mittit Apollo tibi.  
 3 Cum socioque choro multam ex se ferre salutem  
 4 me jubet, ut comiti delicioque suo.  
 5 Utque sui coepto flagres constanter amore,  
 6 et doctis pergas usque favere, petit.  
 7 Sic tua, quae magna est, major perpesque nitebit  
 8 nobilitas, et erit clarius inde decus.  
 9 Interea brutos infestosque artibus hostes,  
 10 sub tacitum lethas obruit unda chaos.  
 11 Quae mea sit merces quaeris, tibi dicere nondum  
 12 possum, cum fuerit jam data, dicam aliis.

AD EUMDEM.

E11\_069 v.1 Perpetuo viridans abies ceu surgit honore,  
 2 sic etiam nomen, quod dedit illa, tuum.  
 3 Sic jubet Aonidum cultus studiumque sororum,  
 4 quae solae tribuunt morte carere deae.



## NEMO AD SERENUM.

E11\_078 v.1 Tota tuam vocat urbs consortem nobile scortum,  
2 ast ego matronam dico, Serene, bonam.

## IN MEGAERAM.

E11\_079 v.1 Quod furit et falso convicia seminat ore,  
2 officium per agit saeva Megaera suum.  
3 Ergo malae patiens perfer mendacia linguae,  
4 sunt testes qui sis, quaesit et illa, boni.  
5 Qui tua cum nivea cohonestent nomina fama,  
6 quis furor haec turpi velle lavare luto.

## DE SCHOLA MARPURGENSI.

E11\_080 v.1 Hei, iterum laeta fatuos oblectat in urbe  
2 lapsuram minitans hanc modo fama scholam.  
3 Barbarus haec spero mendacia dissipat hostis,  
4 qui bruta studiis non bene mente favet.  
5 Nam generosior est princeps meliorque Philippus,  
6 quam sua quod tali nomina labe notet.  
7 Magna quidem laus est profugis dare tecta camenis,  
8 dulceque munifica ferre juvamen ope.  
9 Sed gravius scelus est sacris servire rapinis  
10 cogere, et hinc miseram temnere velle deas.  
11 Quodque putata diu pietas sit avara cupido,  
12 o faciles tantum dii prohibete nefas.

## AD AMICOS.

E11\_081 v.1 Quid doctum docti Cordum vocitatis amici ?  
2 Indoctus non vult credere Blandicius.  
3 Barbara sic veteres tenet ignorantia mores,  
4 evehit indignos saepius illa viros.

## IN BLANDUM.

E11\_082 v.1 Non sum fatidicus, quod te fers esse, prophetes,  
2 nec magica celebror nobilis arte sophus.  
3 Certa tamen multis verus praesagia dixi,  
4 cum toties vanus tu fueris nebulo.

## AD AMICUM.

E11\_083 v.1 Humani quotnam sint corporis ossa requiris :  
2 nudum perspicias Eutaliona, scies.

## IN TANTALUM.

E11\_084 v.1 Pauper eras paucis contentus, nunc ubi dives  
 2 factus es, infelix Tantale, semper eges.  
 3 Tamque nihil data tot nuper tibi milia ducis,  
 4 ut jam dimidio non saturere cibo.  
 5 Non equidem invideo, verum precor hanc tibi sortem,  
 6 ut duplices fiant, quas modo condis, opes.

## AD FORTUNAM PRO TANTALO.

E11\_085 v.1 Aequa malis fortuna viris, jam desine tandem  
 2 tuum beare Tantalum,  
 3 ter miserum facies, si sic perrexeris, Irum,  
 4 imo fame coges mori.

## IN LABELLAM.

E11\_086 v.1 Quando tot ostendant tibi te juvenesque senesque,  
 2 ipsum te quid adhuc nosse, Labella, nequis ?

## IN LUCULLUM.

E11\_087 v.1 Non te despondens animum suspende, Luculle,  
 2 plurima quod laete surgit ubique seges.  
 3 Verus tam caras vates praesagio fruges,  
 4 panibus ut metuas te saturare tuis.

## DE SOLONE.

E11\_088 v.1 Nae liberalis est Solon, libentius  
 2 decem cacantes, quam unum edentem qui videt.

## IN EUMDEM.

E11\_089 v.1 Tu licet ipse Midas, ego contra nominer Irus,  
 2 nolo tuas, eadem si quoque mens sit, opes.

## IN EUMDEM.

E11\_090 v.1 Quidnam sit versura rogas, sic quid sit arare  
 2 rusticus, et quid sit fallere leno rogat.

## DE CONVIVIS PHASELLI.

E11\_091 v.1 Convivatoris convivas laudo Phaseli,  
 2 quos sic aspectu temperat ille suo.  
 3 Ut nullas rixas, nulla umquam juba prodant,  
 4 sed lateant, ut eos vivere nemo sciat.

## AD PINARUM.

E11\_092 v.1     Integra, ceu nova sint, tua semper vasa renident,  
                   2            crederis hoc multis splendidus esse modo.  
                   3     At probat ille nitor mihi, quam sis sordidus hospes.  
                   4            Nullus enim salvas conterit usus opes.

## AD PARIDEM.

E11\_093 v.1     Infestos habui Monachos, scis hactenus hostes,  
                   2            quoque mihi poterant hi nocuere modo.  
                   3     Sed magis exutis eadem jam turba cucullis  
                   4            hoc facit, o miserum, nos Paris, usque genus.  
                   5     Haec ubi colluvies primas tenet urbis habenas,  
                   6            quam satius servens hos, sua saepta, greges.  
                   7     Non his ingenuae caderent auctoribus artes,  
                   8            quando sacras vocitant turpia lustra scholas.

## IN BLANDIUM.

E11\_094 v.1     Quos ego rejicio, curandos accipis aegros,  
                   2            et certam querulis pollicitaris opem.  
                   3     Sed mea quos omnes juxta praesagia tollit  
                   4            mors nihil arte morans immo citata tua.  
                   5     Non facilem promittere, sed praestare salutem,  
                   6            esse boni medici, subdole Blande, solet.

## EURICII CORDI EPIGRAMMATUM LIBER DUODECIMUS.

## AD GEORGIUM STURTIUM.

E12\_001 v.1     Totus hic adversos exercitus exit in hostes,  
                   2            pro domini pugnans nomine turba sui.  
                   3     Cui non, qui justam soleas defendere causam,  
                   4            praefectum pigeat te, precor, esse ducem.  
                   5     Ut mihi Geriflua Maecenas nuper in urbe,  
                   6            sic modo fer gratam tutor et ultor opem.

## AD PRINCIPEM PHILIPPUM.

E12\_002 v.1 Quae nam me cogat te causa relinquere quaeris,  
 2 quod tibi dem culpae quodque scholae nihil est.  
 3 Infestum fugio cum complice faece Solonem,  
 4 vae misero, cui non faverit ille viro.

## AD COLLEGAS.

E12\_003 v.1 Non irascere, nec totam te crede notari  
 2 si quosdam carpam, docta corona, viros.  
 3 Quantus enim semper fuerim, novistis, amicus,  
 4 omnibus intentus posse juvare modis.  
 5 Ut mea facta satis, satis ut mea scripta docebunt,  
 6 quae vel in hunc cunctis sunt manifesta diem.  
 7 Annua me facilis monitore stipendia princeps,  
 8 discipulos etiam jussit habere greges.  
 9 Structa magistratu nostro subsellia, quaeque  
 10 a pedibus famuli fulgida sceptrata gerunt,  
 11 Qui quoque vos consultantibus locus excipit, et quae  
 12 ferrea servandas clatra tuentur opes.  
 13 Cetera ne dicam, quae possem plura referre,  
 14 quae studio quoque sunt non male jura meo.  
 15 Et nostros si voveritis quandoque libellos,  
 16 quos certe lectrix exera terra probat.  
 17 Non una est vestras quae cantat pagina laudes,  
 18 quoque potest sacram tollit adusque scholam.  
 19 Cui nulli veluti damno, nullique pudori  
 20 vester erat, sic et postmodo Cordus erit.  
 21 Interea vestra mihi vim vi pellere pace,  
 22 inque hostes liceat stringere tela meos.

## IN DAEDALUM.

E12\_004 v.1 Clancularia et undecumque clausa  
 2 vestrarum licet officina fraudum  
 3 surda incude focoque nil sonante  
 4 nullos prodiderit fabros, tamen jam  
 5 casu grande foramen indicante,  
 6 omnem harum seriem gravemque massam,  
 7 quae nondum faciem suam recepit,  
 8 perspexi, papae ut affabri labores  
 9 apparent, et ut artifex imago.  
 10 Dii vestram superi fidem, quid insons,  
 11 quid simplex meruit miserque Cordus ?  
 12 Qui sincerus et integer sodalis  
 13 vos ut praecipuos suos amicos  
 14 nativo genii colens amore  
 15 casuram prius aetheris ruinam,  
 16 has quam reddere vos vices, putassem.  
 17 O verissime mi propheta Buschi  
 18 quam vellem tua verba subnotassem.  
 19 Non caesus modo Phryx monente plaga  
 20 cum magno saperem meo periculo.



## IN MANIUM.

E12\_005 v.1     Dum ruis in nostras furiosus et ebrius aedes,  
                   2           ac incompositis vociferare sonis.  
                   3     Meque levem scurram, nebulonem, versificemque  
                   4           audes, et nihili deblaterare virum.  
                   5     Te vero magnis insignem laudibus effers,  
                   6           quem vires nequeunt aequiparare meae.  
                   7     Non sacer es Christi, quem te fers esse, minister,  
                   8           cornigerum colis hac sed ratione deum.  
                   9     Conveniensque magis scurrae tibi nomen habebis,  
 10                hoc dabit in libris Musa perenne meis.

## IN PHILOMOMUM.

E12\_006 v.1     Caesareo factum te jactas ore Poetam,  
                   2           et notum toto nomen in orbe tuum.  
                   3     Versificatorem contra me dicere scurram  
                   4           non pudet, et nihili sum velut umbra tibi.  
                   5     Haec ego dum patri quererer convicia Phoebo,  
                   6           ille quis, ignoro, sit Philomomus ait.  
                   7     Quandoquidem sacros facere et formare poetas,  
                   8           nullius est munus Caesaris, immo meum.

## IN EUMDEM.

E12\_007 v.1     Quod falsis condita jocis Epigrammata ludo,  
                   2           clare levem scurram me Philomome vocas.  
                   3     Non pudet hoc cum divino commune Platone,  
                   4           cumque aliis magnis nomen habere viris.  
                   5     Et percam facilis sidet sua munera Phoebus,  
                   6           hoc fore ni cupias tu quoque scurra modo.

## IN LEUCUM.

E12\_008 v.1     Dum furis insana jaciens convicia voce,  
                   2           et fremis in faciem deblaterasque meam.  
                   3     Longe alius sum vir, quam tu me rere, frequentas,  
                   4           sic est, te magnum sum ratus esse sophum.  
                   5     Qui nunc insignis nebulo et mihi scurra patescis,  
                   6           sic frontem prodit pessima lingua tuam.

## AD CANDIDUM.

E12\_009 v.1     Videris hirsutam Serrani, Candide, barbam,  
                   2           vincentem Curios dixeris esse sophum.  
                   3     Si, quam dira furens in me convicia jecit,  
                   4           audieris, levis est hic homo scurra ferēs.

## IN AEMULUM.

E12\_010 v.1      Multa tua et decies excusa poemata jactas,  
 2                    quae Clarii volitent docta per ora chori.  
 3      Si verum id, tunc nullus in hoc est ordine Cordus,  
 4                    qui nequii tantas cernere solus opes.  
 5      Quod tamen ad sacram fixti tetrastichon aedem,  
 6                    hoc desiderium sustulit omne meum.

## IN EUMDEM.

E12\_011 v.1      Te scripsisse refers saturas, et scribere posse,  
 2                    sic vanis cupiens me cohibere minis.  
 3      Scilicet ostenso stylus ut meus ense quiescat,  
 4                    incutis hac nullum sed ratione metum.  
 5      Quantascumque potes totis jace viribus hastas,  
 6                    quas rides spathulas experiere meas.  
 7      Saepe sarissatus muscarum spicula miles  
 8                    devovet, et grandem vespa fatigat equum.  
 9      Quemque olido cernis scarabaeum stercore condi,  
 10                    non metuit summo bella parare Jovi.

## AD CANDIDUM.

E12\_012 v.1      Quod patria fugiam Braemam cessurus ab urbe,  
 2                    quae nam me cogat, Candide, causa rogas.  
 3      Amplius albatos foris hic spectare caminos,  
 4                    et stomachum vexet nolo marisca meum.

## IN PHILOMOMUM.

E12\_013 v.1      Indignare meo te scurram carmine dici,  
 2                    qua tu me, cur te non ego voce vocem ?  
 3      Ast uter hoc nostrum sit nomine dignior, olim  
 4                    aequae iudicium posteritatis erit.  
 5      Cui mea versificis plus ludicra, spero, placebunt,  
 6                    quam quod tu tantus, grande Poeta, sonas.  
 7      Quod nisi cum toto, quem jactas, legero mundo,  
 8                    vanus eris Bavius Calliphanesque mihi,  
 9      imo quem miser hac superet cito Choerilus arte,  
 10                    vel dignos alapis cum facit ille modos.  
 11      Quantumvis pleno commendet et efferat ore,  
 12                    Suffenus turbae te tuus ille suae.

## IN SUFFENUM.

E12\_014 v.1      Esse malum dicis Cordum, Suffene, poetam,  
 2                    sed tibi quod bonus est ille poeta dolet.

## IN EUMDEM.

E12\_015 v.1 Quod esse me malam poetam dixeris,  
 2 nullo tui similis furore ferueo.  
 3 Quod contra apertam veritatem nil queam,  
 4 quia tam diu malus fui, quam tu bonus.

## IN SABELLIANUM.

E12\_016 v.1 Quicumque quondam accimini professores,  
 2 illud futurum si modo est, et haec contra  
 3 malam schola hostium manet voluntatem,  
 4 cavete subdolum Sabellianum hortor,  
 5 licet boni, docti atque candidi, si non  
 6 et illius deum timere patronum,  
 7 servoque supplices honore adorare  
 8 videamini, id si feceritis insignes  
 9 mirabilesque colemini viri, quamvis  
 10 fueritis improbi malique Lurcones.

## IN NEOPOMPUM.

E12\_017 v.1 Quae sexaginta, si vendas, veneat aureis,  
 2 te propriam jactans dicis habere domum.  
 3 Et miseras Cordo sordes rabido objicis ore,  
 4 qui tamen has novies terque rependat opes.  
 5 Hac si non fatuus debes ratione vocari,  
 6 cujatem praestes die, Neopompe, sophum.

## AD CATELLUM SILENI.

E12\_018 v.1 Frustra famens herum, catelle, Silenum,  
 2 aliena ubi mensa repletur, observas,  
 3 singultiat licet, et sonorus eructet.  
 4 Te prandio tuo nova arte defraudat,  
 5 nam turgidis buccis, labrisque compressis,  
 6 tentaque ad os vomitum suum cohibet dextra,  
 7 quasque egerit statim reglutit offellas.  
 8 Domum reversus optimam dabit cenam.

## IN MAEVIUM.

E12\_019 v.1 In me quingentos minitaris scribere versus,  
 2 si pergam famae noxius esse tuae.  
 3 Cur tua, non rabies prius et mala lingua quievit,  
 4 meque domi pacem sivit habere meae ?  
 5 Cur saevo tibi nil nocuum me dente petisti,  
 6 imo tum de te non male promeritum.  
 7 In quosdam verbis, fateor, sed percitus, hostes  
 8 ferbueram, factis qui nocuere suis.  
 9 Sed quota pars ejus fueras quod et ipse farinae,  
 10 nescieram, fronti credideramque tuae.

11 Cujus nulla fides, ut et hirtae, sentio, barbae,  
 12 sic plures tandem noscere disco viros.  
 13 Et quamdam potius, quam coetum Palladis, aulam  
 14 experior, tanto pectora felle scatent.  
 15 Non ego Caesarea sum factus voce poeta,  
 16 docta nec in toto me manus orbe terit,  
 17 ille tamen, quem me vocitas, tibi versificator  
 18 congregiar, tua nil me movet ista phalanx,  
 19 seu brevibus gladiis, seu longis obviet hastis,  
 20 adversas veniens experiere manus.

## AD SOLONEM.

E12\_020 v.1 Ebrius assiduo foetet Lenaeus Iaccho,  
 2 tu tamen hunc vestri fers decus esse gregis.  
 3 Erras, sed solam, quae prima est littera, eam si  
 4 invertas, verum bestia nomen habet.

## IN SIMULATOREM.

E12\_021 v.1 Dudum tua male suspicatus de fide  
 2 animum tibi metui meum concredere,  
 3 quod affabras latere sycophantias  
 4 in te notarem, et clancularios dolos,  
 5 licet tuae de more patriae mihi  
 6 blanda obvis salute, amica imagine  
 7 favere te monstraveris, sed nunc ubi  
 8 pars factus es nostri sodalicium quota,  
 9 tuus quis erga me favor sit emicat.  
 10 Nam commodum te tempus et locum modo  
 11 nactum ratus, tui venenum pectoris  
 12 effundis, et quocumque scis pacto noces,  
 13 contemnis, irrides, laccessis ejicis.  
 14 Hoc optimis meis querar sodalibus,  
 15 quos tot bonos et candidos habeo viros,  
 16 ut te suis mecum imprecationibus  
 17 Archilochicisque saevientes versibus  
 18 dignissimam cogant Lycambis ad necem,  
 19 et exeuntem non per os hinc spiritum  
 20 ad infimum usque persequantur Tartarum.

## AD IOANNEM DRACONEM.

E12\_022 v.1 Audio in Hessiacum te suspirare Lyceum,  
 2 ac Hessum simul huc posse venire meum.  
 3 Haec rata vota velim, veteresque juvaret amicos  
 4 cernere, et antiquos ferre referre jocos.  
 5 Et non exiguo nobis essetis honori,  
 6 nempe ruinosae ceu duo fulcra scholae.  
 7 Sed nihil invisus poterit promittere Cordus,  
 8 immo magis studio forte nocere suo.  
 9 Usque adeo infensus me nescit ferre Philoenus,  
 10 ille suos nostrum seligit alpha viros.

## IN ZOILUM.

E12\_023 v.1      Caesare te factum jactas auctore poetam,  
                   2           sunt qui, quod fuerit cognitus ille, negent,  
                   3           falsi, si verum est, quod consiliarius olim  
                   4           illius fueris, num quoque fingis et hoc ?  
                   5           Omnia si fingas, tamen hoc fatearis oportet,  
                   6           sub diris monachum te latuisse togis.  
                   7           Qui si deposito cessasses esse cucullo,  
                   8           haec fera non inter nos modo bella forent.  
                   9           Candida sed gereres cum simplice pectora mente,  
 10           et similes coleres pace fideque viros.  
 11           In me qui rabido bacchans nunc irruis ore,  
 12           et vomis e tremulis fellea sputa labris.

## AD SCAEVOLAM.

E12\_024 v.1      Si non, quantumvis madidus Philomusus adesset,  
                   2           cetera nil vestrum turba valeret, ais.  
                   3           Tale tuum quis iudicium non rideat, et te  
                   4           plus Phrygio stupidum dixerit esse Mida ?  
                   5           Sordida Phoebaeos sic upupa vincit olores,  
                   6           supplica, ut auriculas servet Apollo tuas.  
                   7           Qui volet hunc alius contemptum sufferat, ipse  
                   8           conferri foedo Scaevola nolo sui.

## AD SODALES VETERES.

E12\_025 v.1      Non in vestra magis Cordum consortia vultis  
                   2           admitti, tantum quod patrat ille scelus ?  
                   3           Nulla meae labes vitae est, nitet aurea fama,  
                   4           atque bonum, siquis vestrum, ego praesto virum.  
                   5           Vera secus nescit de me, scio, dicere lingua,  
                   6           propterea in tacito gaudeo saepe sinu.  
                   7           Nec mea Tisiphone colubrinis corda flagellis  
                   8           verberat, hac altrix est mihi parte quies.  
                   9           Sed desertores quosdam justa ira notavit,  
 10           atque hostes, mihi clam qui nocuere, meos.  
 11           Hoc ingens, atrox, infandum, immanequè crimen,  
 12           ob quod me sanctus circulus ille fugit.  
 13           Si tam famosum reputatur apostata nomen,  
 14           in vestro cur tot sunt, mihi ferte, choro ?

## IN MALUM POETAM.

E12\_026 v.1      Te jactas celeberrimum poetam,  
                   2           cujus plurima scripta ter quaterque  
                   3           rursum excusa legant, probent, stupescant  
                   4           toto quotquot in orbe litterati.  
                   5           Vis et me simili tui furore  
                   6           insanire parumque gloriari ?

7 Plus illius inest et haeret artis  
 8 sectis sordibus unguium meorum,  
 9 quam tanta cerebri tui palude.  
 10 Invitis quia nil potes Camenis.

## IN EUMDEM.

E12\_027 v.1 Tam fuit insano Germanus pectore Caesar,  
 2 ut daret indigno laureaserta tibi ?  
 3 Quem Cyrnaea magis taxus, magis aspera lappa,  
 4 atque gravi quidquid foetet odore, decet.  
 5 Sic furiosa tuae meruit vesania frontis,  
 6 deberet rabidum perdere clava canem.

## AD CONVIVAS IN PRANDIO PHILOSOPHICO.

E12\_028 v.1 Aspicitis pravus temulentum moribus illum,  
 2 et non esse hominem dicitis, immo suem.  
 3 Si facilem vultis vobis bene velle Lyaeum,  
 4 talia de tanto verba tacete viro.  
 5 Quin excellentem cunctos laudate magistrum.  
 6 Nostrae jam beta est, mox erit alpha Scholae.

## IN MURAENAM.

E12\_029 v.1 Totis vel potas, vel stertis inepte diebus,  
 2 vilis habet nullos bibliotheca libros.  
 3 Quod faciles possent ita doctum reddere Musae,  
 4 tam felix umquam non reor esse caput.  
 5 Assiduis opus est studiis incumbere, si quis  
 6 monstrandum digitis se volet esse virum.  
 7 Te tamen admirans cunctis praeferre Lycisca  
 8 audet, et hinc cristam tollis ad astra tuam.  
 9 Isto non vesane place tibi nomine, nescis,  
 10 quod probet indignos saepius ille viros.

## IN AEMULUM.

E12\_030 v.1 In quemdam supra positum est epigramma Camillum,  
 2 qui non sincerus noster amicus erat.  
 3 Hinc appellandum correximus esse Caminum,  
 4 o quam conveniens hoc tibi nomen habes.

## IN BERTOLDUM MEDICUM.

E12\_031 v.1 Inter potores jactas, Bertolde, sodales,  
 2 cum Cordo Nigrum te superare suo.  
 3 Hunc animum tribuunt istae tibi forte receptae,  
 4 quas enchiridio colligis usque tuo.  
 5 Caecus adhuc sciolus, quantum medicina sit aequor,  
 6 non cernis, sapiens post tria lustra minus.

7 Non tribus haec annis, vix toto Nestoris aevo  
 8 discitur, immo nec id sat tibi tempus erit.  
 9 Scilicet immensum chaos, ac immane Barathrum  
 10 prendere tantillum non cochleare potest.

AD PHILIPP. MELANTHONEM.

E12\_032 v.1 "Vir doctissimus optimusque" Cordus  
 2 a te, magne Philippe, nominatur  
 3 in missis ad amiculos libellis.  
 4 Sed quidam solitus vocare scurram,  
 5 indoctumque malumque sycophantam  
 6 me traducit, utri fides habenda ?  
 7 Neutri, nam tua te velut voluntas,  
 8 sic illum sua fallit ira, quare  
 9 vestrum iudicium nihil morabor,  
 10 ut qui, qualis uterque, me vocetis.

IN SIMULATOREM.

E12\_033 v.1 Praebibis et placida propensum fronte favorem  
 2 fingis, at occulto cor tibi felle scatet.  
 3 Et clandestinis mihi noxia fraudibus infers,  
 4 ac famae mendax insidiare meae,  
 5 cum tua turba coit, congerronesque sodales,  
 6 ante cucullatas qui posuere togas.  
 7 Aut istis similes affectibus indue vultus,  
 8 aut lateris pateat facta fenestra tui.  
 9 Pejor enim non est hostis, quam fictus amicus,  
 10 non bonus amplexu laedere miles amat.

IN PHILOPOMPUM.

E12\_034 v.1 Arcanus fueris quod consiliarius, inquis,  
 2 Caesaris, hoc verum non, Philopompe, nego.  
 3 Ut quem non norit Caesar, nec viderit umquam,  
 4 nec sis, quod fueris, conscius ipse tibi.

IN ARROGANTEM.

E12\_035 v.1 Quod medicam melius Nigro et me noveris artem,  
 2 ni praestes aliam, non tibi credo, fidem.  
 3 Posses, cum multo modo si biberetur Iaccho,  
 4 tunc ipsum, fateor, viceris Hippocratem.  
 5 Non plenos calices, nocturnas illa lucernas  
 6 postulat, et tritos sedulitate libros.  
 7 Sed non qui magicas doceant, tua gaudia, nugas,  
 8 nec vanos, adeo quos colis, astrologos.

## AD GELASINUM.

E12\_036 v.1      Quidnam, Corde, novi, quid est, quid aiunt ?  
 2                  Occurris quoties mihi requiris.  
 3                  Hoc ex ardelione quopiam, vel  
 4                  adventante roga tabellione,  
 5                  ad me dum venit est vetusta fama.  
 6                  Ast unum scio, quod nequis putare,  
 7                  quod miraberis ut nigros olores,  
 8                  jam non ebrius in tribus diebus  
 9                  Lenaeus tuus est, id unde quaeris ?  
 10                 Non nummos habet, exigensque frustra  
 11                 caupo, quod bibit in duobus annis,  
 12                 plenis credere tesseris recusat.

## AD EUMDEM.

E12\_037 v.1      Jacturum nova Lenaeum convicia dicis,  
 2                  quando meos olim legerit ille sales.  
 3                  Nil metuo tanto non pocula tempore ponet,  
 4                  hujus ut inspiciat vel breve lemma libri.

## AD JUSTINUM GOBLERUM.

E12\_038 v.1      Dum multa differs huc conditione venire,  
 2                  et longas nectit plurima causa moras.  
 3                  Praeveniens alius, sic procurante Solone,  
 4                  munus obit (quod te nolo latere) tuum.  
 5                  Sic timui, mea sic me non praesagia fallunt,  
 6                  i nunc et vatem me Gobelere nega.

## IN SIMULATOREM.

E12\_039 v.1      Irato occurrens avertis lumina vultu,  
 2                  et tacitis mussas, quando saluto, sonis.  
 3                  Carior hostis ob id, fueras quam fictus amicus,  
 4                  nunc es, aperta mihi qui modo bella paras.

## AD SCAEVOLAM.

E12\_040 v.1      Quod Cordus contra Philomomum scribere tentem,  
 2                  stultitiae dandum Scaevola rere meae.  
 3                  Utque soles, tibi qui palpant, miraris et illum,  
 4                  et pleno doctum provehis ore virum.  
 5                  Huncne putem doctum, qui doctos unice amantem  
 6                  incessit furiis me laceratque suis.  
 7                  Quantuscumque tibi fuerit Cicerove Marove,  
 8                  bliteus experto scurra erit ille mihi.  
 9                  Quem velut apprendens aestivum vespa juvencum,  
 10                 usque sub infernos exagitabo lacus.



## IN NICIAM.

E12\_041 v.1 Tu rigidumne forum mihi, et aspera jura minaris,  
 2 sistendus fueris qui magis ipse reus ?  
 3 Qui tanto contra jus, fasque, piumque, furore  
 4 irruis in tutae saevus asyla domus.  
 5 Et rabidis furiis, atroceque dente laccessis  
 6 de te promeritum nil sibi tale virum ?  
 7 Cur tu dicta aliis adeo convicia purgas ?  
 8 Indicio notum te facis ipse tuo.  
 9 Sic solet incensum capri deprendere cornu  
 10 Herculeum, latuit quod tamen ante, malum.  
 11 Dum proba contendit meretrix matrona videri,  
 12 proditur, abstersum plus quoque stercus olet.

## AD FABIANUM.

E12\_042 v.1 Ebria Thuranus quando convivium vellet  
 2 nuper ridiculis exhilarare jocis.  
 3 Inventam grave ventris onus relevavit in ollam,  
 4 exhibuitque litas omnibus inde nates.  
 5 Iste quotam, quaerens, nam circulus indicat horam ?  
 6 Et quot in hac luna condita puncta latent ?  
 7 Mox fumante suos adolevit odore sodales.  
 8 Tale decet tales tus, Fabiane, deos.

## IN CHOERILUM.

E12\_043 v.1 Nil moror, ipse mihi quod propria vexeris auctor,  
 2 lectori populo est major habenda fides.  
 3 Qui doctum huc nihil usque tuum vidisse fatetur,  
 4 undeque te noster tam colat ordo, rogat.  
 5 Sic mirata putat formosum simia fetum,  
 6 nempe solet pulchrum cuique placere suum.

## IN NICIAM.

E12\_044 v.1 Cum tanto irrueres in me, Philomome, tumultu,  
 2 et furiis streperes acer atroxque tuis,  
 3 spes fuit hac trepido ratione silentia Cordo  
 4 ponere, sed mores te latuere mei.  
 5 Qui bonus, humanus, facilis, sincerus amicus,  
 6 nescio quo nullam vim queo ferre modo.  
 7 Indignans oneri sic sursum palma resistit,  
 8 plusque gravi stridet pressa cicada sono.

## AD SCAEVOLAM.

E12\_045 v.1 Ni tuus illustret celebri Philomusus honore,  
 2 hanc nullum dicis nomen habere scholam.  
 3 Lucida sic horrens illuminat astra cometes,  
 4 tale sedet pulchro naevus in ore decus,

5 Non alia est foedus vitrei sus gloria fontis,  
 6 florigeram decorat sic gravis auster humum.  
 7 Sicut habendarum flagrante cupidine rerum,  
 8 alter es hic prava Scaevola mente Midas.

IN OBTRACTATOREM.

E12\_046 v.1 Docta pulchrius eruditione,  
 2 quam dira maledictione tecum  
 3 certarem, mihi et id magis placeret,  
 4 hanc ni materiam prius dedisses.  
 5 Extra ipsum thema disputare, non est,  
 6 ut nosti Dialecticus, decorum.  
 7 Qui vult dicere quod libet, necesse est,  
 8 ut, quod non libet, audiat vicissim.

AD CANDIDUM.

E12\_047 v.1 Horribilem tibi Menduci vis, Candide, larvam,  
 2 quam pueris, dum flent, committere tuis.  
 3 Irati faciem Menedemi pinge, videbis,  
 4 hos ad falciferi confugere ora senis.  
 5 Tam truculenta, ferox, tam saevaue terret imago,  
 6 hispidus occiderit, posset hic esse Charon.

AD HEINRICHUM ORTHUM.

E12\_048 v.1 Dum ferus in nostras rueret modo Maevius aedes,  
 2 non apud infernos Eumenis ulla fuit.  
 3 Tota sed impetiit vesanum turba poetam,  
 4 absumptis in cum, quas habuere, comis.  
 5 Te vidisse truces vultus audisseque vellem,  
 6 quam rabidos effrons fuderit ille sonos.  
 7 Quo rationis inops convicia jecerit ore,  
 8 se quibus extulerit, me scideritque modis.  
 9 Mirarere suos hominem servasse capillos,  
 10 imo contusum non retulisse caput.  
 11 Undeque tanta novi fuerit patientia Cordi,  
 12 quiverit ultrices ut tenuisse manus.  
 13 Sed tenui, lacrimans mea sic me compulit uxor,  
 14 ut mentem servem, saepe precata, meam.  
 15 At modo quae tanti fuerit nam causa furoris,  
 16 quod talem scurram praestitit ille, rogas ?  
 17 Forte poetastros quosdam dum voce notavi,  
 18 hac quoque se strictum duxerat esse nota.  
 19 Quae mea tunc neque suspicio neque mens fuit, imo  
 20 rebar eum, quem se jactitat, esse virum.  
 21 Donec jam suus ipsius se prodidit index,  
 22 sic veniens aperit sub nive tecta calor.  
 23 Quid prodest magnum falso sibi fingere nomen ?  
 24 Garrula, qui quisque est, fama tacere nequit.

## AD AMICUM.

E12\_049 v.1      Quem mea perstringant Lenaeum carmina quaeris,  
 2                    moribus, ut taceam, proditur ille suis.  
 3                    Scilicet assiduo qui semper plenus Iaccho,  
 4                    exhilarat bipedes, quos trahit Aegla, Capros.  
 5                    Aegle, non ea Naiadum pulcherrima, verum  
 6                    femina non ullis exsatianda scyphis.

## IN MERCURIANUM.

E12\_050 v.1      Quod miseri hac quando pelluntur ab urbe retincti,  
 2                    tu quoque discedens, Mercuriane, migras,  
 3                    huic te, suspicio est, etiam colludere sectae,  
 4                    ac alibi fratres quaerere velle tuos.  
 5                    Immo quotum illorum te narrat fama prophetam,  
 6                    taleque collectum dogma docere chorum.  
 7                    Ex illo, quod tot convicia fuderis, ore,  
 8                    quae bona nam, miror, promere verba queas.

## AD NIGIDIUM.

E12\_051 v.1      Se magnum jactat, Nigidi, Caper esse poetam,  
 2                    et cunctis celebrem gentibus esse virum.  
 3                    Si quot ab hirsuto paedes depectere mento,  
 4                    tot posset versus condere, forte foret.

## IN QUOSDAM APOSTATAS.

E12\_052 v.1      Quod calido exutos Monachos vos corde vocarim,  
 2                    quod grave commisi, dicite quaeso, scelus ?  
 3                    Si sancta est pietas tristem posuisse cucullum,  
 4                    est nitidum potius, quam mala fama, decus.  
 5                    Non vestro hinc odio sed magno dignus honore,  
 6                    hoc mihi quod dicti nomine sitis, ero.

## DE THURANO.

E12\_053 v.1      Quod pedat, eructet, vomat, ferociat,  
 2                    diris inhorreat imprecationibus,  
 3                    adeoque toto agitetur Eumenidum choro,  
 4                    diu ebrius Thuranus audiit male.  
 5                    Sed hanc nova obscuravit arte fabulam,  
 6                    quando frequens cacavit in convivium,  
 7                    et oblitus ostendit omnibus nates,  
 8                    ac singulos adolevit hinc lepidus viros.  
 9                    Qui solus in vulgi ore sermo nunc volat,  
 10                    oblitteratque ceteras famae notas.  
 11                    Sic foedus halitus comestae cepulae  
 12                    deinde sumptis exolescit alliis.

## AD ALMUM.

E12\_054 v.1 Quod optimum utilissimumque fecisset  
 2 miraculum nobiscum adhuc agens Christus,  
 3 interrogatus inquit "Alme Lenaeus,  
 4 fatuas quod undas in suave merum vertit."

## IN SICULUM.

E12\_055 v.1 Hae magnos doctosque viros quod in urbe relinquis,  
 2 atque nova pueros sede docere cupis.  
 3 Sunt qui vesano te dicant esse cerebro,  
 4 consilium sed eos credo latere tuum.  
 5 Cuique homini est sua, quam sectatur amatque voluptas,  
 6 silva juvat capras, unda lutumque sues.  
 7 Posthabito quod equo turpem conscendis asellum,  
 8 sunt aliquae, tua quas vota sequantur, opes.  
 9 Quod posito fieret truculentus numine taurus,  
 10 certa patrem valuit cogere causa Jovem.

## DE LENAEO AD CANDIDUM.

E12\_056 v.1 Omnia Lenaeus se per convivia prodit  
 2 spurcitie, quasi sit susque canisque sua.  
 3 Unius e mensa sed sobrius ecce Catonis  
 4 jam redit, et media, Candide, luce sapit.  
 5 Mutatos homini gratari desine mores,  
 6 compos enim voti non bibit ille sui.

## AD LYCURGUM.

E12\_057 v.1 Ex divo cacodaemona, et ex cadaemone divum,  
 2 ut malus aut bonus es cuique, Lycurge, facis.  
 3 Sic gravis ante meo qui tollerer auctor amico,  
 4 jam levis infenso sordeo scurra tibi.  
 5 Interea ejusdem persistit gloria Cordi,  
 6 semper apud doctos salva bonosque viros.  
 7 Hoc utroque pater tribuit mihi munere Phoebus,  
 8 seu malus inideas, sive bonus faveas.

## AD CHROMIM.

E12\_058 v.1 Non sua opus nostro est Sileno membra ligare  
 2 ut canat, injiciens vincula solve Chromis.  
 3 Assiduo cura calices repleantur Iaccho,  
 4 et medios etiam concinet ante cibos.  
 5 Non quae capripedes tantum modulamina Faunos,  
 6 sed brutos possent exhilarare sues.

## AD PLATEANUM.

E12\_059 v.1 Carmine tu nostro pudefactum rere Philoenum,  
 2 semper mansuram forte timere notam.  
 3 Nil minus, hac vacuum fert sollicitudine pectus,  
 4 tam foedum nihil est cuius eum pudeat.  
 5 Nec, quae posthuma sit defuncti fama, moratur,  
 6 dum vivens habeat quod bibat atque voret.

## AD DOMUM SUAM.

E12\_060 v.1 Cara domus, dilecta domus, gratissima sedes,  
 2 deliciae pariter, deliciaeque meae,  
 3 accipe (nam cupidam mei ego hinc jam demigro Braemam)  
 4 triste tui domini perpetuumque Vale.  
 5 Dumque sacris (mihi quo surrepta es nomine) Musis  
 6 servis, aeternos integra vive dies.  
 7 Sin alicui ex nostris donaberis hostibus, opto  
 8 ut trifido crepitans te terat igne deus.

## AD FILIOS PUEROS

E12\_061 v.1 Cernitis has sparsas, dulcissima pignora, villas ?  
 2 Labentes hic est Bestava propter aquas  
 3 hae, mea, dictae illae Simesusae, patria, quam vos  
 4 multos optastis posse videre dies.  
 5 Aspiciate, et totas circumlustrate novales,  
 6 quaeque novo segetum germine rura virent.  
 7 Plura prehendentem quam centum jugera fundum,  
 8 quos omnes genitor solus habebat agros.  
 9 Sed modo succedens divisos possidet haeres  
 10 multus, et ex illo longa propago, nepos.  
 11 Quandoquidem propior me solum linea servat,  
 12 concessit saevae cetera turba deae.  
 13 Nimirum septem fratres et quinque sorores,  
 14 quos ego, cum veniens jusserit hora, sequar.  
 15 Forsan ubi, quae, quantaque sit pars nostra rogatis,  
 16 nusquam, nulla, nec has alea lusit opes.  
 17 Nec pleni calices, nec turpia lustra tulerunt,  
 18 sed doctae studium delictumque scholae.  
 19 Scilicet ingenuas ideo didici indignas artes,  
 20 ut mihi sit patrio nullus in orbe locus.

## AD ANTONIUM NIGRUM.

E12\_062 v.1 E patria, nosti, discessi languidus urbe,  
 2 me vestro tristem concomitante choro.  
 3 Si morior, dixi, cari me flete sodales,  
 4 extremum a vobis hoc mihi munus erit.  
 5 Sed dexter, licet aegrotum, perduxit Apollo,  
 6 et placido cepit me pia Braema sinu.  
 7 Quae non vile supra mihi pacta salaria donum,  
 8 gratuitaque dedit commoda tecta domus.

9 Et quo non ego me dignor veneratur honore,  
 10 inter primates dans residere suos.  
 11 Quae praeter solitos ideo tibi jactito mores,  
 12 hostis ut hac doleat sorte, crepetque meus.  
 13 Magnas invidiae grates ego debeo, quae me  
 14 usque sua cupiens perdere juvit ope.

## AD PETRUM NIGIDIUM.

E12\_063 v.1 Dum subit illa mei discessus tristis imago,  
 2 dum lacrimas recolo, candide Petre, tuas,  
 3 a te nulla mihi quod venit epistola miror.  
 4 Ne noceant hostes, forte verere, mei ?  
 5 Ignosco, nam quo scateant, scio, corda veneno,  
 6 invisio possent quamque nocere tibi.  
 7 Hunc ego non cupio, quod amicis obsit, amorem.  
 8 Plus nocet hoc odium, quam favor ille juvat.  
 9 Integra dum maneat in fidum pectora Cordum,  
 10 quo poteris simula dissimulaque modo.

## AD ERHARDUM SNEPPHUM.

E12\_064 v.1 Tu quoque (sic veniens istinc mihi littera narrat)  
 2 Hessiacum linques, candide Sneppe, solum ?  
 3 Tene petens, ut summa solet, contingere livor,  
 4 qui sua dudum in me contudit ora, potest ?  
 5 Quae te cumque trahat, vel trudat causa, dolendum est,  
 6 orbam te tanto sole carere scholam.  
 7 Cujus praecipuum nomen, columenque vocaris,  
 8 atque Gigas, in quem tota reclinat, Atlas.  
 9 Utpote quem triplicis decorat facundia linguae,  
 10 atque piae verus religionis amor.  
 11 Quis novus, exspecto, tibi nam successerit alter,  
 12 ex Hesso, certum est, nemo petetur agro.  
 13 Forte quis insanus Gallo Franciscus ab orbe,  
 14 vel male grammatica fultus amandus ope.  
 15 Immo retinctum aliquem inferior Germania fratrem,  
 16 si bona vulturini flaverit aura, dabit.  
 17 Tam male non vestro faveo, mihi crede, Lyceo,  
 18 quin multa felix crescere laude velim,  
 19 et precer auctori deus haec det corda Philippo,  
 20 ut velit aeternos id stabilire dies.  
 21 Illud ut illustri foret incluta gloria stirpi,  
 22 sic patrio juxta certa salus populo.

## IN APOSTATAM.

E12\_065 v.1 Degunt hic aliquot, qui cognovere sodales,  
 2 exutumque quidem te monachum esse negant.  
 3 Attamen, occultus quod sis sectarius, aiunt,  
 4 qui purum Christi non ita dogma colat.  
 5 Foedius hoc, quam quod vociteris Apostata, nomen,  
 6 immo loquax quam quo te male fama notat.

7 Hoc quod sit nescis ? Me non ut proloquar urge,  
 8 nec, quod tu melius noveris ipse, roga.  
 9 Sin instas, Aeneide tunc te nube reconde,  
 10 inque apricanti plebe latesce, scies.

## AD IOAN. LONICERUM.

E12\_066 v.1 In tanta quid barbaria frigente sub axe,  
 2 amusos inter, Corde, rogas, quid agis ?  
 3 Si nihil est aliud, saltem liventia corda,  
 4 et nimis infidum complicitium fugio.  
 5 Quamquam non adeo mihi barbara Braema videtur,  
 6 imo non uno nomine grata placet.  
 7 Dives enim est populus, pia plebs, prudensque senatus,  
 8 qui bona tranquillae foedera pacis amat.  
 9 Et sincera tenens divini dogmata verbi  
 10 subjectos frenat jure et amore suos.  
 11 Nec sacra Phocaici desunt hic numina montis,  
 12 mixtus it Aoniis ipse Visurgus aquis.  
 13 Incipiuntque novo mentes splendescere cultu,  
 14 totque facit celebres dexter Apollo viros.  
 15 Inter quos doctus leges Hoierus, et omni  
 16 arte potens Vasmar, suavis et Esichius,  
 17 et nitido praestans, ut vultu, ita pectore Trupus,  
 18 (invida Chenchelium fata tulere) micant.  
 19 Insignes animae, praeclaraque nomina, qui me,  
 20 ceu rapidam flammam Parthica naphtha, trahunt.  
 21 His me consolans, ego delectabor, amicis,  
 22 hos nunc praesidium laetus habebo meum.  
 23 Interea dominum vos observate Myronem,  
 24 et ferus imponat, cui valet ille jugum.

## IN SILENUM.

E12\_067 v.1 Non tibi non faveo, si, quod mihi fabula narrat,  
 2 sobrius exosus me, temulentus amas.  
 3 Tunc quia perpetuum scio te mihi semper amicum,  
 4 tantillamque moror nil inimicitiam.

## IN POMPILIANUM.

E12\_068 v.1 Si praeter nostros aliud nil rodere versus  
 2 in tanta poteris, Pompiliane, fame.  
 3 Mox exarmato moriere edentulus ore,  
 4 morsa trucem nescit cos saturare canem.

## IN CAPRUM.

E12\_069 v.1 Sint vinctae post terga manus, sint nudaque membra,  
 2 mox eris effossus sub cruce mandragoras.  
 3 Impostor qualem populo divendit Agyrtes,  
 4 ut cumulet multas illius emptor opes.

## IN EUMDEM.

E12\_070 v.1 Si quo mandragoras, sub eodem sors quoque tecto est,  
2 aerumnas narrant cur caper, ede tuas.

## AD PIERIUM.

E12\_071 v.1 Vindice me passim defendere diceris ore,  
2 discessumque aegro pectore ferre meum.  
3 Non satis est genitrix quod te dedit Hessia, quin te  
4 hac etiam invidia, dulcis amice, graves ?  
5 Mox aliam quaeras alibi tibi, consulo, sedem,  
6 non potes hoc gratus more manere diu.

## IN OBTRACTATOREM.

E12\_072 v.1 Saepe meum tentans volui cohibere furorem,  
2 nec me tam foedo contemerare luto.  
3 Sed tua dum rabies, incredibilisque protervae  
4 improbitas linguae, saevaue imago subit,  
5 me novus incessit, mihi telaque suggerit ardor,  
6 nomen ut ulciscar contuearque meum.  
7 Quod majore licet mihi te restinguere fama,  
8 ac alium, quam me dixeris, esse virum.  
9 Nolo tamen turpi juxta quoque labe notari,  
10 vel minimus, dici non bonus, horret homo.

## IN PHILOPOMPUM.

E12\_073 v.1 Qui velit, Hessiaci te praedicet alpha Lycei,  
2 nil moror, alpha nequis, sed fore beta potes.

## AD CANDIDUM.

E12\_074 v.1 Quod nimium vehemens Suffenum persequar hostis,  
2 huncque diu poenas, rere, luisse suas.  
3 Et petis ut placido jam tandem pectore cessem  
4 sic invectivis usque calere meis.  
5 Si, quibus in me sit furiis bacchatus, haberes  
6 compertum, nihili dixeris esse jocos.  
7 Atque magis sancto patientem Socrate Cordum,  
8 insano nondum par retulisse viro.  
9 Ergo meam frustra restinguere coeperis iram,  
10 bellua dum rabiem non sinet ista suam.  
11 Vis sua ne jaculans magis hystrix spicula mittat,  
12 sectantes prohibe pone latrare canes.



## AD CALUUM.

E12\_075 v.1 Excusas Maeui rabiosum, Calve, furorem,  
 2 quod multo fuerit percitus ille mero.  
 3 Tunc ais hunc tantis furiis persaepe moveri,  
 4 injectis ut ei compedibus sit opus.  
 5 Egregia illius numquid laus ista magistri,  
 6 exemplis alios, qui cupit ire, suis.

## AD PROFESSORES MARP.

E12\_076 v.1 Divite magnanimum censu fundasse Philippum,  
 2 fert tandem vestram nuntia fama scholam.  
 3 Nunc obstructa malis sunt illius hostibus ora,  
 4 nunc bona spes Clarii sacra manere chori.  
 5 Prudentes modo vos studiosa mente videte,  
 6 quales conveniat deinde vocare viros.  
 7 Non unius enim Thurani sive Sabelli,  
 8 totius officium sed gregis illud erit.

## IN ADVERSARIOS SUOS.

E12\_077 v.1 Isto, si sinitis, contenta est ira libello,  
 2 et mea pacifica spicula pono manu.  
 3 Pergitis, est aliis mihi plena pharetra sagittis,  
 4 ferreus adversus quas nihil umbo valet.

## AD PRINCIPEM PHILIPPUM.

E12\_078 v.1 Aemula forte potens defert tibi fama, Philippe,  
 2 carmine perstringi teque scholamque meo.  
 3 Sed tu victa cave falsae mendacia linguae,  
 4 nec facili quodvis credulus aure cape.  
 5 Ante exploratam nihili est sententia causam,  
 6 et cadit indigne, qui sine teste cadit.  
 7 Nam quanta in miserum sit ficta calumnia Cordum,  
 8 et quam multiplici condita techna dolo.  
 9 Si placidas dederis verum dicentibus aures,  
 10 scibus, et a culpa me vacuum invenies.  
 11 Nam cur tanta meos agitet vesania sensus,  
 12 laudes ut tenuent carmina nostra tuas ?  
 13 An generose queam te non extollere sanguis,  
 14 o mihi dulce decus praesidiumque mei ?  
 15 Propria quem veluti mea lumina semper amavi,  
 16 quem quasi praesentem nosco, colloque deum.  
 17 Ut mea per multos testatur Musa libellos,  
 18 atque aliis saeculis, postera turba leget.  
 19 Te tenerum quondam lusi puer ipse puellum,  
 20 quando patris flerem nigra feretra tui.  
 21 Mox pastoralis celebrat te fistula, qua se  
 22 gaudens Augustus sustulit ipse cani.  
 23 Et doctum potuit gratus ditare Maronem,  
 24 ac lateris comitem semper habere sui.

25 Hinc tu Caesareae quae concino Majestati,  
 26 ad purum hanc Christi dum voco dogma, lege.  
 27 Et magnam cernes in eo te carmine partem.  
 28 Ludicra praeteriens imputo scripta nihil.  
 29 Quae tibi non vilem parient per saecula famam,  
 30 quantumvis osor rideat illa meus.  
 31 Sic instauratum nuper tua in urbe Lyceum,  
 32 qua potui vexi, qua queo laude veho.

## AD LIBRUM.

E12\_079 v.1 Care, nec invideo patrium liber ibis in orbem,  
 2 hei domino, serus quod fugit inde, tuo.  
 3 Vade, sed objectam te tutans Aegida profer,  
 4 ne noceant hostes, invida turba, mei.  
 5 Quos nihil, atroci spectent licet horrida vultu,  
 6 iratique vomant pessima verba, time.  
 7 Te misero possunt tractare et figere pacto,  
 8 sed vitam nequeunt perdere, crede, tuam.  
 9 Hanc tibi perpetuos salvus servabis in annos,  
 10 atque meae quota laus posteritatis eris.  
 11 Hi sibi dum nullum, nisi per te, nomen habebunt,  
 12 cetera Lethaeis fama peribit aquis.

## EURICII CORDI EPIGRAMMATUM LIBER DECIMUS TERTIUS.

## AD GEORGIUM STURTIUM.

E13\_001 v.1 Audio te fratrem lugere, o clare Georgi,  
 2 saevus quem Mavors sustulit inde tibi.  
 3 Quam velles meritas jam poenas ferre retinctos,  
 4 quos tecum meritis devoveo ipse modis.  
 5 Pone modum lacrimis, et tristes excute curas,  
 6 nulli restabunt, qui nocuere tibi.  
 7 Per detur, turba haec cui se commisit asylum,  
 8 totamque absorbet panda vorago luem.  
 9 Quidnam suspiras ? Quid adhuc tua pectora tundis ?  
 10 Num vultus fortem te decet iste virum ?  
 11 Collige vir tutes animi rogo, te quia in ultum  
 12 noluit omnipotens, qui, pater astra regit.  
 13 Hoc si praestiteris, dignos te denique mores  
 14 indueris, magnum sollicitabo Jovem,  
 15 ut tibi diva deum fecundo viscere mater,  
 16 augeat optatas tam cumulanter opes,

17 quam tuus in doctos favor et pia vota merentur,  
 18 imo dispendens libera dona manus.  
 19 Nam mihi quae dederit tua munificentia, novit  
 20 jamdudum Phoebus, Pieridumque chorus.  
 21 O utinam plures felix daret Hessia vates,  
 22 quos simili dignos prosequereris ope.  
 23 Ut mecum socio meritum te carmine laudent,  
 24 virtutesque vehant alta per astra tuas.

AD GEORGIUM AGRICOLAM.

E13\_002 v.1 Audio te magnae scrutari viscera matris,  
 2 et gravido quicquid continet illa sinu.  
 3 Utile matura tandem precor edere munus,  
 4 fervida nec longis protrahe vota moris.  
 5 Atque simul medicis hac in caligine rebus  
 6 consulere, et famam spargere perge tuam.  
 7 Nam triviale nihil, tua nil mediocre Minerva,  
 8 sed quod amet, stupeat lector Apollo, dabit.  
 9 Sic tua Bermannus praeludia monstrat, et illa  
 10 quae de mensuris ponderibusque mones.  
 11 Hic quae sit tua vis et quanta scientia vidi,  
 12 o dignum lauri perpete fronde caput.  
 13 Macte vir hac bona quam praestant tibi numina dote,  
 14 quinque nec effosso conde talenta solo.  
 15 Et dubiis nobis adapertam lampada profer,  
 16 ut veram liceat cernere et ire viam.

DE URSO A PRINCIPE PHILIPPO FUSO.

E13\_003 v.1 Laetus ut hunc fusum spectaret Juppiter ursum,  
 2 alterius voluit mox decus esse poli.  
 3 Sed nulli fuerant vasta inter sidera tractus,  
 4 qui tantae caperent horrida membra ferae.

DE EODEM.

E13\_004 v.1 Arcadicum quid aprum, flantesque incendia tauros,  
 2 crudelis diros quid Diomedis equos,  
 3 aeripedemque feram, Stymphalicasque volucres,  
 4 Herculeae mirer vi cecidisse manus ?  
 5 En magis horridus hic, et cunctis vastior ursus  
 6 occubuit dextra, clare Philippe, tua.

DE EODEM AD SPECTATOREM.

E13\_005 v.1 Mortua spectantem si te sic terret imago,  
 2 qualem, quo victa est haec fera, rere virum !  
 3 Hic est magnanimo praepollens corde Philippus.  
 4 Quis neget huic triviae numen inesse deae ?

## URSUS DE SE IPSO.

E13\_006 v.1 Clara Lycaonio tegor hic ex sanguine proles,  
 2 Hessiaci metus et maxima fama soli.  
 3 Magnanimi fortis me fudit dextra Philippi,  
 4 non potui fato nobiliore mori.

## AD SIDERANDRUM.

E13\_007 v.1 Flandum, ais, esse mihi, tamen et simul ore tenendum  
 2 pollinem, et urbanum, qui sciat illa, putas.  
 3 Tam gravis indocilis plane sum rusticus artis,  
 4 qui queat hanc, alium, discere, quaere virum.  
 5 Me cari fore sincerum docuere parentes,  
 6 quem genius quoque nunc admonet esse meus.

## AD EUMDEM.

E13\_008 v.1 Nescire urbanos me nolleque discere mores,  
 2 ast alias celebrem rere bonumque virum.  
 3 Si qui adulatur, blanditur et assentatur,  
 4 dicitur urbanus, non queo nec cupio.

## AD RETINCTOS.

E13\_009 v.1 Vestro, aiunt, tingi Palinurum velle lavacro,  
 2 non admittendum tam cito duco virum.  
 3 Nulla illum pietas, sed inops huc cogit egestas,  
 4 qua bona pars vulgi vos quoque mente petit.  
 5 Nam quotus inter vos aliquando emergere mystes,  
 6 hacque via plures quaerere sperat opes.  
 7 Forsan et occisis moderandas regibus urbes,  
 8 nam qui sit vester constat ubique furor.  
 9 Sed quia consiliis aptissima pectora vestris,  
 10 afferet, insanos augeat ille greges.

## IN PINUM CONTIONATOREM.

E13\_010 v.1 Quando invitarem, non te potare ferebas  
 2 posse, nec officium, Pine, decere tuum.  
 3 Nunc, quod sis decima dimissus sobrius hora,  
 4 obloqueris, parcum meque ais esse virum.  
 5 Parce, tuus latuit me mos, sincera putavi  
 6 verba, grave hoc prudens inde cavebo scelus.

## IN EUMDEM.

E13\_011 v.1 Vis invitari, verum invitatus, ais, te  
 2 ante invitatum, velle venire tamen.  
 3 Ut potior, quod non renuas, tibi gratia cedat,  
 4 perdat et officium qui vocat ipse suum.

## AD CHROMIM.

E13\_012 v.1      Bis tua te conjunx , tu ter fecisse fateris,  
 2                    immemorem nolim sic Chromis esse meam.

## IN THESTYLEM ANUM NUPTURIENTEM.

E13\_013 v.1      Ante quadraginta mihi saepe quid egerit annos,  
 2                    dixit adhuc vivi Thestylis uxor Apri.  
 3                    Tam gravis, heu, viduam sed nunc oblivio vexat,  
 4                    juret ut aetatem sex nisi lustra suam.  
 5                    Hunc facili morbum possem curare medela,  
 6                    dans alium medicus, quem cupit illa, virum.

## IN TYRANNUM CONTIONATOREM.

E13\_014 v.1      Omnes sacram cives in aedem vis, jubes,  
 2                    cogisque vi venire, et inde neminem  
 3                    exire, dum finita sint hic omnia,  
 4                    modo se tuae membrum manere ecclesiae,  
 5                    neca suis fugarier bonis, velit.  
 6                    Ultronea haec est, quam deus vult, servitus ?  
 7                    Quid interim si quis cacaturiens homo  
 8                    facto profanarit sacra ista stercore ?  
 9                    Eandem et ille non nocens poenam luet ?  
 10                    Frangit potens vel dura saxa necessitas.

## MUSAE QUERUNTUR.

E13\_015 v.1      Magna novos fuerat spes nos jutare prophetas,  
 2                    sed magis infestus non prius hostis erat.  
 3                    Illa jubetne fides natam Jove temnere prolem ?  
 4                    Esset id antiquum mox fore velle chaos.  
 5                    Tollere nam nostras, est solem tollere, dotes,  
 6                    omne quibus sine fas, jusque piumque ruit.  
 7                    Immo nec ipsi ut ament tandem clarere prophetae,  
 8                    haec ubi sic pergunt spernere sacra, queunt.

## AD PINUM.

E13\_016 v.1      Non evangelicos, quod ais, contemno magistros,  
 2                    imo ventricolas nescio ferre sues.  
 3                    Qui tunc egregios se credunt esse prophetas,  
 4                    ex alto jaciunt dum male dicta loco.  
 5                    Et certa ex certis recitant praescripta libellis,  
 6                    indeque se doctos omnia scire putant.  
 7                    Inque bonas diris declamant vocibus artes,  
 8                    clarior ut pulso Cynthia sole micet.  
 9                    Qui tamen hunc tribuit quemcumque habet illa nitorem,  
 10                    et nisi sit, nigrans esset ubique chaos.

11 Cordatum dederis, qui quod docet exprimat, unum,  
12 volvar adoratos illius ante pedes.

DE THEOLOGICIS VIRTUTIBUS.

E13\_017 v.1 Theologicas olim fuisse virtutes  
2 tres, nempe spem, fidemque, caritatemque  
3 vel unius probant epistolae Pauli.  
4 Sed in sua quae mortuae juventute  
5 multis inane saeculis diu nomen  
6 non gentium usquam apparuere, sed ipsarum  
7 loco interim novae vigere coeperunt,  
8 Invidia, Avaritia et Superbia, quas nostri  
9 jam theologi primas suas colunt divas,  
10 solamque qua vocantur, exprimunt vocem.

AD AMICUM.

E13\_018 v.1 Quanto evangelici distent discrimine dicam,  
2 Papisticis ab Episcopis ?  
3 Non fas est, nisi quod rerum potentibus illis,  
4 bonae cadant jam litterae.  
5 Quarum magna sub his tamen emolumenta fuerunt,  
6 dignumque juxta praemium.

AD AMOENUM.

E13\_019 v.1 Non est elatus, quod dicis, Amoene, Philander  
2 immo quod efferri non queat, ipse doles.

AD RYNCHUM.

E13\_020 v.1 Infestare tuas dicis cacodaemonas aedes,  
2 et sanctos quibus hoc accidat esse viros.  
3 Hinc tibi per multos jam sermo nascitur annos,  
4 nec pius, haec qui non credit, habetur homo.  
5 Desine jam vanas tandem rogo desine nugas,  
6 nam, quae sint larvae, scitur ubique, tuae.

IN EUMDEM.

E13\_021 v.1 Audiit argutum famulae stridere grabatum,  
2 atque dolens timido pectore Rynchus ait :  
3 "O expergiscens ora mea sedulo conjunx,  
4 rursus adest quatiens limina nostra Satan."

AD EUMDEM.

E13\_022 v.1 Si te tam metuit, quod ais, tua larva, fugitque,  
2 cur alias potius non petit illa domos ?

## AD EUMDEM.

E13\_023 v.1 Omnes foedat aquas, nullum tua larva Lyaeum,  
2 et nisi lauta rapit clam sibi fercla, sapit.

## AD EUMDEM.

E13\_024 v.1 Qualis hic est Satanus, dic, o sanctissime Rynche,  
2 qui non, ni praesens sit tua larva, strepit.

## AD EUMDEM.

E13\_025 v.1 Ejulat, et lucens poscit tua larva feretrum,  
2 mentitur, juvenem vult sibi, crede, virum.

## AD EUMDEM.

E13\_026 v.1 Hinc abiens patrium subiit tua larva lupanar,  
2 Mollis ubi patitur succuba mille procos.  
3 Quam bonus adjutator erat, quicumque sit, ille,  
4 qui non hanc Stygium jussit adire chaos ?  
5 Si niger haud alios claudit cacodaemonas Orcus,  
6 quis sua non supero linqueret astra Jovi ?

## IN EUMDEM.

E13\_027 v.1 Me tota vulgo misere traducis in urbe,  
2 quod larvas nequeo credere, Rynche, tuas.  
3 Hac, quasi te bene sis ultus, ratione superbis,  
4 meque putas turpi contemerasse nota.  
5 Sed tua mox tenues abeunt maledicta per auras,  
6 et brevis haec, sed non credula turba capit.  
7 Ast ego Pierio si me defendero versu,  
8 omnes te populi, longaue templa scient.

## AD QUOSDAM AMICOS.

E13\_028 v.1 Sanctis moribus, integraque vita,  
2 et multa simul eruditione  
3 insignis Gobelerus ille noster  
4 jam conviva domi meae vocatus  
5 cenabit, similes ei bibones  
6 qui certent lepida dicacitate,  
7 dum quosdam cupio, statim subitis  
8 candens mi Niger omnium, quot usquam,  
9 ingens Alpha sodalium meorum,  
10 hinc dulcis Plateane docte rhetor,  
11 et cultor Nigidi sacrae Thaliae,  
12 sincerissima et absque felle corda

13 prae cunctis, quot in hoc Lyceo, amicis.  
 14 Quare mox ubi pronus occidit sol,  
 15 et quintae resonabit ictus horae,  
 16 adsitis, gravibus sed absque curis,  
 17 cum laetis salibus, facetiisque,  
 18 ut quod lautitiis meis abesse  
 19 propter jam vacuum queror macellum,  
 20 id vester lepor et jocus rependat.

## AD PHILOMUSUM.

E13\_029 v.1 Si nisi defunctos laudas, Philomuse, poetas,  
 2 me tibi perpetuo displicuisse velim.

## IN ALNUM ANABAPTISTAM.

E13\_030 v.1 Christicola quod ais pellendos urbe poetas,  
 2 scimus hypocriticam te posuisse togam.  
 3 Sed quod et ingenuas simul omnes rejicis artes,  
 4 ex tot jam sectis cui magis Alme faves ?  
 5 Forte sacrum cogit pietas iterare lavacrum,  
 6 contemptus talem te probat ille virum.  
 7 Quin etiam ista queunt magis argumenta docere,  
 8 communes ditum vis tibi pauper opes.  
 9 Et dominas tolli cupis et perstringis habenas,  
 10 visque novus toto surgat in orbe furor.  
 11 Spero quod horrendis deus his conatibus obstet,  
 12 ni velit humanum mox abolere genus.  
 13 Oceano cunctos mergi vos aequore praestet,  
 14 quam tantam mundo conciliare luem.

## AD LUCULLUM.

E13\_031 v.1 Jam tribus exspecto numerandum mensibus aurum,  
 2 saepe licet mandes id jubeasque dari.  
 3 Non tamen hinc nequam Quaestorem dixero servum,  
 4 namque voluntatem scitque facitque tuam.

## IN CELSUM.

E13\_032 v.1 Semper in Aonios mordax es, atroxque poetas,  
 2 hacque pium credi te ratione putas.  
 3 Qui te feralem nescit posuisse cucullum,  
 4 ex isto liquide discere more potest.

## AD PETRUM NIGIDIUM.

E13\_033 v.1 In tantis animi, quos jam fero, motibus oro,  
 2 ut cenes mecum, candide Petre, veni.  
 3 Non ego te madidus poclis urgebo Lyaei,  
 4 scis quantus mihi sit sobrietatis amor.



5 Primam gaudentes tantum gustabimus uvam,  
6 ut docuit Scythici vox memoranda sophi.

## DE VACCA CONTIONATORE.

E13\_034 v.1 Cum celebre infamis per templum Vacca boaret,  
2 et sua non credi verba videret, ait :  
3 "Si non haereticus, Christo veniente, Lutherus  
4 perditur, hanc tunicam victor habeto meam.  
5 Prudens Vacca sapit, sua vivus tegmina servat,  
6 nullis Tartareus vestibus hospes eget.

## AD EUMDEM.

E13\_035 v.1 Si quoties positum perdis tu victus amictum,  
2 servata quoque des, impie Vacca, fide,  
3 tunc Epicureae sequeris qui dogmata sectae,  
4 uno ter fieres Gymnasiarcha die.

## AD ABRONEM.

E13\_036 v.1 Quid fugis hinc, diram cupiens evadere pestem,  
2 siste, domi poteris tutior esse tuae.  
3 Nam quas hospitibus teque inquiringibus aedes  
4 claudis, huic puto te non aperire lui.

## AD IOANNEM N.

E13\_037 v.1 Omni ex parte meis aptum te moribus effert,  
2 nempe bonum, doctum candida fama virum.  
3 Tales ut cupio, sic si queo, venor amicos,  
4 et velut ingentes aestimo semper opes.  
5 Si potes ergo leves frugi non spernere lances,  
6 vulgaresque boni consuluisse cibos.  
7 Crastinus in cena mihi commessator adesse,  
8 ut tua, ceu nomen, constet imago, velis.  
9 Blanda sed, heus, tecum doctarum plectra sororum  
10 adfer, ut exhilares cor, recreesque meum.  
11 Qui longo dudum confectus languet morbo,  
12 hac quoque ceu medica restituendus ope.  
13 Nam mea divinae sunt Musae summa voluptas,  
14 quas quis amat, venerans hunc quoque cultor amo.

## IN IMAGINEM EOBANI HESSI, AD PICTOREM DURERUM.

E13\_038 v.1 Noluit a quovis Magnus pictore, sed illo  
2 pingi, qui tali primus in arte fuit.  
3 Sic summum summus vatem, Durere magister,  
4 exprimis, at brevis hoc horula perdet opus.  
5 Interea nullum, cui cedunt omnia, tempus  
6 eximet, ingenio quod facit ille suo.

## IN EANDEM.

E13\_039 v.1 Vidit ut horrentem barba sacra Pieris Hessum,  
 2 "Plus, ait, hoc Getici cultor es ore dei."  
 3 Me tamen hirta nihil vultus truculentia terret,  
 4 quae sequor ingenium respicioque tuum.

## AD ERHARDUM SNEPPHUM.

E13\_040 v.1 Si non Vindelica tibi partus in urbe triumphus  
 2 cristatum fecit, candide Snephe, caput,  
 3 nec pudet indocti dici congerro poetae,  
 4 vulgares facilis si potes esse cibos.  
 5 Apparente meam, quaeso, pete vespere cenam,  
 6 multa super latis fabula rebus erit.  
 7 Seria sacra, inquis, mea sunt, tua, Corde, profana  
 8 ludicra, quo possunt illa coire modo ?  
 9 Non jucunda decent tetrici convivium mores,  
 10 saepe leves poscit resque, locusque jocos.  
 11 Omnibus aptari poterit qui commodus horis,  
 12 hunc ego prudentem judico, Snephe, virum.

## IN NON STUDIOSUM DISCIPULUM.

E13\_041 v.1 Stulte, quid assiduo juvenis trahis otia potu,  
 2 pulverulenta quid est Bibliotheca tibi ?  
 3 Ingens dedecus est pretiosum perdere tempus.  
 4 Omnis enim studiis quae vacat hora perit.

## IN CHILIANUM.

E13\_042 v.1 Tanto parturiens strepitu jam pluribus annis,  
 2 ingentem dudum spem, Chiliane, facis.  
 3 Festinans multam fertur canis aedere prolem,  
 4 tu quid adhuc vacuis visceribus paries ?

## AD AMICUM.

E13\_043 v.1 Sincerum poteris si Cordum ferre sodalem,  
 2 si grati possunt illius esse joci,  
 3 hanc insperatus quintam conviva sub horam  
 4 advenio, vacuum quid querulare focum ?  
 5 Ipse meam mecum cenam et mea pocula porto,  
 6 ad mensam tantum da residere tuam.  
 7 Luridus ut tamen id Suffenus nesciat, oro,  
 8 nam cupio tecum vivere, non vomere.

## IN FORES CASSELOMANNI.

E13\_044 v.1 Hae, sunt hospitium scribarum principis, aedes,  
 2 quando Lycaonias excitat ille feras.  
 3 Scilicet ut bonus ipse bonis est artibus hospes,  
 4 sic amat et socii candida membra chori.

## AD EUMDEM.

E13\_045 v.1 Non miror salsum te progenuisse poetam,  
 2 Altendorfinum, Casselomanne, solum.  
 3 Multus ubi est Helicon, ubi multus ubique Cithaeron,  
 4 atque suum praebens omnibus unda salem.

## IN POMPILIANUM.

E13\_046 v.1 Non ut castigem, sed ut admirerque, probemque,  
 2 versiculos mittis, Pompiliane, tuos.  
 3 Vis tamen in vacua, si qua erres, margine signem,  
 4 quam capiat crebras est minor illa, notas.  
 5 Consilium ergo meum, vis omnia menda prehendi,  
 6 deleat ut totas una litura schedas.

## IN QUEMDAM INCAUTE MENTIENTEM.

E13\_047 v.1 Quando novum faceret furnum mihi Lappa, rogavit,  
 2 quam durare potest integer ille diu ?  
 3 "Dum triginta annos dicenti credere nollem,  
 4 feci qui quater id stat modo tempus", ait.

## AD SIXTUM.

E13\_048 v.1 Ipse quod aegrotem medicus me, Sixte, reprendis,  
 2 sic ego te, pecces quod sacer ipse sophus.

## EPITAPHIUM HERMANNI BUSCHII.

E13\_049 v.1 Vidit ut insanos artes jugulare retinctos,  
 2 et patriam pessum Buschius ire suam.  
 3 "O, ait, ex istis me Juppiter erue turbis,  
 4 ne tantum videam dedecus atque scelus."  
 5 Tum facilis prono rerum pater annuit ore,  
 6 dignaque promeritum sumpsit in astra senem.  
 7 Hic modo divinam doctis sermonibus aulam  
 8 mulcet, et ambrosia vescitur ille dape.

## AD AEDILES.

E13\_050 v.1 Clauditis oppositis sacra dormitoria clatris,  
 2 et cupitis brutos hinc prohibere sues.

3 Quin intrent, olidas ut possint tollere sordes,  
4 sanctior est hara, quam tanta latrina, locus.

## DE HYLIA.

E13\_051 v.1 Sic aegro febrem promisit pellere Lynci  
2 grandiloquus, ne post illa rediret, Hylas.  
3 Post mera jam semel est verus mendacia vates,  
4 sic quia Lynx, ut non febriat inde, valet.

## AD PROCIUM.

E13\_052 v.1 Te quinque jam Theologo fers Argyrophilo  
2 donasse Christi plumbeas imagines,  
3 et illi gratum quid dedisse existimas.  
4 Sed, care, falleris, Proci, quare, rogas ?  
5 Dicam tibi, si vis placens, bonum, pium  
6 offerre munus, et faventi pectore  
7 ab illo comprobarier, tunc unicum  
8 dones Maronem illi, et placebit, aureum,  
9 qui parvus, magna plumbi vincet pondera.

## IN POMILIAM.

E13\_053 v.1 Nubis adhuc adeo demens et inepta puella,  
2 quod patrem patrum rere vocasque tuum ?  
3 Sed sapis, hoc notha legitimam te nomine reddis,  
4 quam bene, si et castam saepe fututa queas.

## AD NESTORA.

E13\_054 v.1 Cur non cristatas velut ante in corte volucres,  
2 quaeris, alam ? Vulpem tu quia Nestor alis.

## DE QUODAM MONACHO.

E13\_055 v.1 Turpia confessam Veneris patrata puellam  
2 audiit in sacra funiger aede pater.  
3 Noluit imposita tamen illa remittere dextra,  
4 ni quoque concubitu posset et ipse frui.  
5 Atque subobscurum prensam raptavit in antrum,  
6 dulceque spectanti plebe peregit opus.  
7 Non maledic, imo miserere urentis egeni,  
8 nemo cacaturiens se cohibere potest.

## IN QUOSDAM MALEVOLOS.

E13\_056 v.1 Non ad vestra magis vos hinc me prandia velle  
2 invitare, loquax clam mihi fama refert.  
3 Vos quod hypocriticos nuper posuisse cucullos

4 protulerim, grave quod ducitis esse scelus ?  
 5 Id si est, exuvias vos ite resumite vestras,  
 6 ut foris internos monstret imago lupos.

## IN EOSDEM.

E13\_057 v.1 Vestra quod excluso colitis convivium Cordo,  
 2 forte, quod indignum jam, doleamque putor ?  
 3 Nil minus, a tali fugiens me subtraham mensa,  
 4 qua tuus, Turanus, fert adoletque suum.

## AD VIATORES.

E13\_058 v.1 Wirtembergiacos qui vis peragrarum Suevos,  
 2 consilium memori percipe mentem meam.  
 3 Non exorta proba divini dogmata verbi,  
 4 nec merita profugum provehe laudem ducem.  
 5 Haec ut summa gravi plectuntur crimina poena,  
 6 omnia sunt alias tuta nefanda tibi.

## AD MATHIAM HERDENIUM.

E13\_059 v.1 Sic tua quod poscit contingat, amice, voluntas,  
 2 ut data languentem me bene pruna juvant.  
 3 Quae gratus mihi sola cibus, qui debile corpus  
 4 sublevat, et leni viscera mollit ope.

## IN PAETUM.

E13\_060 v.1 Omnes vult primos convivia accumbere Paetus,  
 2 et positum plena sumere lance cibum.  
 3 Sed nolite, novum nisi forte velitis Orestem,  
 4 pessima vesano verba furore loqui,  
 5 et dici genitam vos e cacodaemone prolem,  
 6 quae nequeat sanctos noscere caeca viros.  
 7 Exhibet hunc vobis, uni sibi poscit honorem,  
 8 pro Christi vice, quam jactitat ille, sui.

## IN FUSCUM.

E13\_061 v.1 Splendida magnatum Fucus convivium vitat,  
 2 et nisi plebeias intrat amatque domos.  
 3 Sanctus ob id non est, ut reris, apostata, verum,  
 4 non nisi supremo vult residere loco.  
 5 Hic si, quem Christi poscit sibi praeco, daretur,  
 6 Sardanapaliacas mallet adire dapes.

## IN CANEM.

E13\_062 v.1 Angustas quereris timere fauces,

2 et multa simul incalere flamma.  
 3 Non hic consilium meum negabo,  
 4 nudis vescitor ossibus, deinde  
 5 quae cras sicca cacaveris, vorato,  
 6 aversaris, et exsecraris ? Imo  
 7 praesens auxilium libens capesse.  
 8 Nam, doctus velut approbat Galenus,  
 9 inter praecipuas solet medelas  
 10 hunc sanare canina merda morbum.

## IN MELEM.

E13\_063 v.1 Te mea nunc , Melem, nunc Melum carmina dicunt,  
 2 servanda certi pro ratione pedis.  
 3 Imo etiam multo vocitaris Melius ore,  
 4 quam vellem melior, Mele, aliquando fores.

## AD DADERICHUM VASMARUM.

E13\_064 v.1 Numquid et Arctoo faciles sub vertice Musas  
 2 invenio, rigidas hic habitare plagas.  
 3 Et potiore sacros fontes mutasse Visurgo,  
 4 pro patriis Delphis incluta Braema placet.  
 5 Doctus enim est una cum civibus ipse Senatus,  
 6 lucida quos inter tu quasi stella micas.

## AD DITMARUM CHENCHELIUM.

E13\_065 v.1 Sim Riphaea silex, aut edita tigride proles,  
 2 si tam sincerum non ego pectus amem.  
 3 Tam doctumque caput merito non digner honore,  
 4 ipse quod aeterna cinxit Apollo coma.  
 5 Et favet amplexis propius dare basia Musis  
 6 ante suos, dum vix coepta juvena, dies.  
 7 Hinc mea me, quod aves, dudum natura coegit,  
 8 namque bonos nequeo non adamare viros.  
 9 Praecipuum nostros tu nomen es inter amicos,  
 10 qualis in aurato gemma suprema scypho.  
 11 Ergo boni compos voti puer, oro vicissim  
 12 scribe quotum quavis me quoque parte tuum.

## EPITAPHIUM EIUSDEM.

E13\_066 v.1 Dilectus Musis puer almae maxima Braemae  
 2 spes, hanc Chenchelius funere sacrat humum.  
 3 Quam rude ne vulgus promiscua turba profanes,  
 4 immo novis spargens devenerere rosis.

## AD CORNELIUM SCRIBONIUM.

E13\_067 v.1 Dum lego Christiparae flagrantem Virginis aedem,

2 carminibus celebrem, magne poeta, tuis.  
 3 Tunc mihi ceu praesens videor spectator adesse,  
 4 et trepido coram cernere cuncta metit.  
 5 An fleat hoc tantum dives Antverpia damnum,  
 6 unde venit majus, quam fuit ante, decus ?  
 7 In tenues abeat vel tota haec fabrica fumos,  
 8 surgit Apollineis aedificata modis.  
 9 Ut mullo melius seu marmore sive metallo,  
 10 docta licet totas huic manus addat opes,  
 11 quas rubrum pelagus, dives quas India mittit.  
 12 Scit sacer haec vatium vincere cuncta labor.

## AD DADERICHUM VASMARUM.

E13\_068 v.1 Pessima fama volat, tibi quod ferventibus undis,  
 2 hauserit ingentes Ennosigaeus opes.  
 3 Quid facis ? An maesto fles infortunia luctu ?  
 4 Prudentem facies non decet illa virum,  
 5 omnia fortunae qui idem ludibria ridet.  
 6 Instabilis nullam scis maris esse fidem,  
 7 quod sibi commissas anceps velut alea merces,  
 8 numquam non, dubia datque rapitque vice.  
 9 Qui nequit hos fortis sperareque ferreque casus,  
 10 desinat infidum sollicitare fretum.

## AD EUMDEM.

E13\_069 v.1 Debilis ingestas venter male concoquit escas,  
 2 creber et insipido ructus ab ore venit.  
 3 Nec mihi tota potest gratum dare Braema liquorem,  
 4 qui linguae sapiat complaceatque meae.  
 5 Tanta reluctantes obsedit nausea fauces,  
 6 nec sinit exhaustum perfida corpus ali.  
 7 Ergo boni, dives quod misit Ulisbona, vini  
 8 exiguum Cordo da quid amice tuo.  
 9 An velit amissas illud mihi reddere vires,  
 10 optatae desint cum mihi pocla Gosae.  
 11 Sic placido fausti Neptunus et Aeolus ore,  
 12 usque tibi salvas contueantur opes.

## AD EUMDEM.

E13\_070 v.1 Gaudeo longinquis quod salvus ab urbibus adsis,  
 2 atque domum visas exhilarasque tuam.  
 3 Ipseque quam magna jam sollicitudine liber,  
 4 non metuam longae mille pericla morae.  
 5 Nescio qui vacua videar mihi solus in urbe,  
 6 te sine, nec laetes degere, ut ante, dies.  
 7 Qui jucunda mihi praesens solacia praestas,  
 8 atque graves curas maestaque corda levas.  
 9 Scilicet hoc candor tuus, hoc facit aurea virtus,  
 10 hoc dos ingenii, dexteritasque tui.  
 11 Atque adeo sanctae, dulcissima numina, Musae,

